# DIE VIGESIMA SEXTA MAII
# DE S. PHILIPPO NERIO INSTITVTORE CONGREGATIONIS PRESBYTERORVM ORATORII S. MARIÆ IN VALLICELLA ROMÆ.

## VITA Auctore Antonio Gallonio, Oratorii Presbytero, Romæ edita quinto post mortem Sancti anno.

### CAPUT I.
### Prima Philippi vita usque ad annum ætatis 24.

**Annus Æt. 1 & 7 Chr. 1515 & 1521.**

**Æt. 8 & 9 Chr. 1522 & 1524.**

Philippus Nerius Leone Decimo Florentiæ nascitur, XI Kalendis Augusti, S. Mariæ Magdalenæ pervigilio, post mediam noctem, [Florentiæ natus Philippus.] anno redempti orbis millesimo quingentesimo decimoquinto. Parentes habuit, Franciscum Nerium & Lucretiam, Antonii Soldi filiam. Infanti, cum sacris baptismalibus initiaretur, Philippi ab optimo pioque genitore nomen inditum. Quintum vix jam ætatis annum attigerat, cum parentes usque adeo reverebatur, ut ne latum quidem unguem ab eorum jussis discesserit unquam, nullamque eis molestiam, nullam exhibuerit solicitudinem. Duxerat rusticus, anno hujus seculi vigesimo secundo, aut certe insequenti, Adriano Sexto Pontifice, e villa Francisci Nerii patris ad Philippi ædes asellum onustum pomis: in hunc Philippus, annos tum octo vel novem natus, ubi ascendit, continuo factum est, ut ex altissimo loco cum asello in

cellam vinariam præceps rueret. Accurrunt mox mœstissimi parentes, & quem extinctum jam, inde extrahere putabant, vivum incolumemque, nullaque læsum ex parte, singulari Dei beneficio, qui illum ad multorum salutem nasci facerat, inveniunt. Atqui non me latet beatum Patrem, inter maxima quæ a Deo acceperat dona beneficiaque, hoc unum referre solitum, quo scilicet certum interitum, Deo ad magnas res eum destinante, evaserat. Quodam die, cum una cum Elizabetha sorore, Clemente Septimo Pontifice, [quinquennis periclitatur de vita:] Psalmos Davidicos recitaret; Catharina, soror natu major, eos exturbare est aggressa. Ergo Puerulus, ut se atque Elizabetham ab ejus eximeret molestia, Catharinam leviter retrudit: quod ubi pater cognovit, eum acriter corripuit. Qua ex re tantum beatus Puerulus doloris cepit, ut culpam (si qua esse in prima illa ætatula sua poterat) uberrimis lacrymis deleverit.

## Æt. 10 & 15 Chr. 1524 & 1529.

[2] Nihil illo honestius, nihil amabilius, nihil comius: erga majores natu reverenter se gerebat, æqualibus facilis erat, minores amplectebatur, irasci nesciebat. Quibus ille rebus assequebatur, [decennis etiam levem offensam horret,] ut non solum ab omnibus unice amaretur; sed etiam ut Pippus bonus, vulgo jam diceretur: quod sane vocabulum, nihil aliud quam Philippum probum innuere videbatur. Ergo hic puerulus, in sortem Domini electus, ecclesias frequentabat, [in pietate & litteris proficit:] verbi Dei præcones in templis, undecimo ætatis anno (fuit is hujus seculi vigesimus sextus) libenter audiebat; & præcipue Religiosum quemdam Baldolinum ex Humiliatorum familia, de cujus eximia sanctitate mira ille narrabat, quæ brevitatis studio missa facio. Porro hujus servi Dei concionibus intererat Philippus anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Primam ætatem in Grammaticis cognoscendis atque tractandis

totam ferme consumpsit: nec sane frustra; ex eo enim studio fructum tulit maximum. Præceptore usus est Clemente quodam, Latinis litteris (ut temporibus illis) satis erudito; neque vero Philippus in litteris solum profecit, sed in pietate multo magis. Patris [uxorem secundam, suam] novercam, ætate jam devexam, eo quo potuit honore semper est prosecutus, eique adeo ille gratus acceptusque erat, ut cum patrio solo egrederetur, tanta fuerit affecta tristitia, tantoque sauciata dolore, ut luctu fere tota consumeretur. Incidens vero illa in morbum, ex quo non convaluit, Philippi nomen in ore frequentissime habebat, eumque quasi coram adesset, sibi nonnumquam videre videbatur.

## Æt. 16 & 19 Chr. 1530 & 1533,

[3] Cupidus beatus Pater, cum sextum & decimum annum ageret, Euangelicæ perfectionis; adversa quæcumque, Sanctorum exemplis excitus, patientissime tolerabat. In febrim cum incidisset, eam tam facile tulit, [febrim patienter tolerat,] ut credi vix possit; quandoquidem ad morbum non modo remedium non petiit ullum, sed ne ea quidem se vexari cuiquam aperuit. Verum ubi id una de feminis, affinitate sibi conjuncta, advertit; quod Philippo opus erat, quamquam ab eo non requisita, ministrabat. Quo tempore Florentiæ fuit, non potuit ejus virtus cubiculi parietibus domesticisque tenebris diutius contineri: sed emersit e patria sede, & in luce Florentiæ, in ore atque oculis clarissimorum civium versabatur, ut ab ipsis jam inde a puero Pippus bonus, ab adolescentia Philippus probus diceretur. Quibus rebus postea factum est, ut cum sparsi rumores de bonis operibus, quibus se Romæ tradiderat, Florentiæ audirentur; hæc concives inter se de eo colloquerentur: Quid est quod miremur de his? quandoquidem observatum a nobis est, cum ipse hic moraretur, quam probe, quam pie, ac religiose in omnibus rebus perpetuo se gesserit; hisque permoti,

cupiebant ejus orationibus adjuvari. Annos decem & octo natus, a Francisco patre ad avunculum Romulum missus est in Campaniam, [dimissa spe amplæ hereditatis,] ad oppidum, cui a Sancto Germano nomen, ad radices situm montis Cassini; missus autem eo fuit, non ea tantum de causa, ut mercaturam exerceret, sed ut magnarum opum, quibus avunculus afluebat, heres institueretur: is siquidem, cui præter unum Philippum, nullus erat heres, tantum possidebat divitiarum, ut earum summa pergrandis esset ad viginti duorum aureorum millia. Ubi paucos moratus dies, quod timebat conscientiam lædere, longe potiorem præstantioremque jam inde animo mercaturam concipiens, avunculo omnibusque aliis, Christi causa relictis (quippe qui dives cum esset, pauper pro nobis fieri voluit.) Romam, ubi soluto liberoque animo suas omnes cogitationes omniaque studia in uno Deo figeret, se contulit anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo tertio.

[4] Urbem ingressus, domum Galeoti Caccii, civis Florentini, [Romam abit, & se totum Deo tradit,] divertit, in qua aliquot diversatus annos non obscura dedit suæ in Deum pietatis indicia. Vitam victu asperam, sed continuis meditationibus suavem ac plane cælestem ducens, simplici pane, aqua ad potum adhibita, semel in die se reficiebat. Nonnumquam, ne dicam sæpissime, domandi corporis fervori cedens, totum triduum cibo abstinuit. Sui ipsius contemptum perpetuo amavit. Mundana omnia, ut Christo, cui se totum dicarat, frueretur, animo despiciebat; semet deseruerat, semet oderat; deliciæ suæ Christus, ejusque amori respondendi cupidus, solius Dei assidua meditatione dies noctesque delectabatur. Verum his non contentus, ut majore indies incredibilique Christi ardebat amore, ita hoc ipso amore stimulante, majora agere durioraque pati, ejusdem Christi desiderio, omnibus prorsus votis expetebat. Jucundæ erant Philippo vigiliæ, suaves dolores, labores expetendi, nihilque ad

summum erat, quod Deo gratum fore putaret, quin illud amplecteretur. Sed illud hic non involuam silentio, quod sub hæc ipsa tempora eidem accidit. Quodam namque die cum in itinere esset, obvios habuit, nescio quos homines perditis prorsus moribus: [ad peccatum solicitantes convertit:] hi mali dæmonis impulsu, ejus forte allecti pulchritudine, omni deposita verecundia, castissimum adolescentem ad scelus invitant. Quos ille cum declinare, quod vehementer optabat, non posset, eamque ob rem dolore conficeretur; venit illico ei in mentem verbum Dei, quod omni gladio ancipiti penetrabilius noverat, maximam habere vim ad flagitiosorum hominum corda emollienda. Ergo sermone de rebus divinis, deque peccatorum turpitudine eos aggressus; illorum animos ita accendit, ut divinorum verborum efficacia, non solum omni illa tentatione eos liberos reddiderit, atque a statuto facinore revocaverit; sed etiam in alios, Domino rem suam adjuvante, mutaverit. O miram Dei bonitatem! qui captatum venerant, maximo ipsorum bono, ab inermi adolescente, sola divini verbi prædicatione capiuntur; neque inde discesserunt antequam evomerent virus iniquitatis suæ.

## A. Æt. 20 Chr. 1535

[5] Romæ cum moraretur Philippus, venit illi divinitus in mentem, philosophiæ se tradere; in his tamen pietatis studium minime negligendum duxit; [Philosophiæ studet] quamobrem spiritualia quæ vocant exercitia nulla ex parte prætermisit unquam, ut qui fastidiret præsentia. Philosophiæ operam dabat ille, quod Deo rem gratam se facere arbitrabatur; in qua tantos brevi progressus habuit, ut cum excellentibus in eo genere compararetur: nec tamen eo tempore, quamquam philosophiæ deditus, frequens orandi studium & consueta pietatis officia prætermissa fecit; quinimo orationi, divinarumque rerum meditationi multum temporis tribuebat assidue. Quibus

rebus & fortior se ipso indies fiebat, & melior; major enim subinde ejus, ut ætatis, sic virtutis fiebat accessio. Mirum profecto dictu videtur, quanta animi puritate, quantaque innocentia lubricam illam inter studendum ætatem transegerit. Etenim apud eruditissimum virum Cæsarem Jacomellum, præceptorem suum, & Antonium Altovitum, Florentiæ Archiepiscopum, [magno cum profectu, etiam virtutis:] eam probitatis integritatisque opinionem est adeptus, ut eum ambo Probi cognomine honestaverint. In studiis acerrimo, ad disputandum præsertim, ingenio præditus erat. In rebus Theologicis, quas optime callebat, B. Thomæ sententiam perpetuo probavit. A condiscipulis atque collegis unice, pro ejus eximia suavitate, morum elegantia & Christiana humilitate, diligebatur; nullusque erat, qui loqueretur de eo verbum malum. Philosophiæ studiis jam graviter sufficientierque instructus, adeo ab omni voluptatis illecebra liber extitit, ut constanti amicorum fama virgo semper habitus sit. Et hanc quidem cum animi tum corporis virginalem integritatem ad extremum usque spiritum, absque ulla labe aut suspicione, intactam prorsus illibatamque, ut suo loco pluribus dicetur a nobis, servavit.

## Æt. 21 & 23 Chr. 1536 & 1538,

[6] Quo tempore Philippus sese in litterarum studiis exercuit; quamquam interdiu cum sodalibus versabatur, ac de quæstionibus naturalibus & obscuris crebros cum illis sermones ac disceptationes miscebat; [omni terreno affectui renuntiat.] solitudinis tamen ultra quam dici potest appetentissimus, e noctu longas vigilias trahebat, atque juxta Apostoli monitum, invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciebat, sempiternam quoque ejus virtutem atque divinitatem, quantum homini corruptioni obnoxio fas est, scrutabatur. Septem Urbis Ecclesias, & religione & summorum Pontificum Indulgentiis celeberrimas, nemine sibi comite adjuncto,

obibat frequentissime. Noverat enim de anima, Christi amore flagrante, scriptum reperiri, Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus: & alibi, Sedebit solitarius, & tacebit, quia levabit se supra se. Paupertatem adeo coluit, ut nihil unquam a cognatis & consanguineis accipere decreverit. A Francisco patre, cui egregie carus erat, Romæ cum esset, nihil, præterquam initio unum vel alterum indusium, accepit. Caducarum rerum curas, ac præcipue quæ ad affines cognatosve spectarent, refugit omnino. Cubiculo usus est perangusto, in quo nihil erat præter lectulum unum, & libros aliquot, & indusia fune ad parietem appensa. Ubicumque sese dabat occasio cupiditates motusque animi a ratione abhorrentes comprimendi, amplectebatur eam avidissime; sequemet in omnibus vincere curabat. Hinc filios suos monere solitus erat, ut se ipsos minimis etiam in rebus vincere studerent, si magnorum certaminum inde victores fieri cuperent. Denique in id totis viribus incumbere sibi in animo erat, ut ducem Christum, paupertatis suique contemptus amatorem eximium, sequeretur in omnibus.

A. Æt. 23 Chr. 1537

[7] Interea cum beatus Pater adeo abunde sufficienterque in scientiis humanis instructus esset, ut jam cum paucis e sodalibus conferendus videretur; [Scientia sufficienter instructus] litterarum studiis relictis, se totum, ut vocantem Christum sequeretur, in exitu anni hujus seculi (ut opinor) trigesimi septimi, orationi rerumque divinarum meditationi commisit. Illud autem ante omnia aggredi constituit, ut quos haberet libros venderet. Eo enim ardore inveniendi Christi teneri cœpit, ut verbis explicari vix possit, in fervore spiritus ambulans. Oratione nihil Philippo suavius, nihil dulcius, nihilque jucundius: orabat ille dies, orabat noctes; nihilominus non explebatur orandi sitis orando, sed excitabatur magis.

Cum reputaret ille apud animum suum, vel acerbissimam Christi mortem pro salute humani generis obitam, [ad exercitium orationis se transfert.] vel impiorum noxas delictaque, quibus iram Dei in se concitabant, lacrymis totus conficiebatur. In suum ille corpus, ut spiritus suggerebat, sæviebat libentissime. Flagitiosorum hominum conversionem enixe a Domino per unigeniti Filii sui mortem, non sine magna lacrymarum profusione, petebat assidue. Imaginem Christi in cruce pendentis cum cerneret, lacrymas tenere non poterat; quinimo cum Philosophiæ operam daret, ea visa, fletum cohibere nequibat. Illud quoque ei in more positum erat, ut singulis pene diebus, solus remotis arbitris, septem Urbis ecclesias, vel certe earum unam & alteram, religionis causa adiret. Quantum autem ille ex ejusmodi peregrinationibus profecerit, quamve solidos inde divinæ voluptatis ceperit fructus, incredibile dictu est. Sæpe enim totas noctes in pia cælestium rerum meditatione hisce in locis consumebat: [Visitat sæpe 7 Ecclesias,] sæpissime apud cœmeterium, quod Calixti dicitur, in oratione pernoctabat. Somni parcissimus, nuda humo sub harum ecclesiarum porticibus, cum eum necessarius somnus occupasset, cubabat. In precibus præterea Deo fundendis eam adeptus erat facultatem, ut divina potius vi ad eas adduceretur, quam nova aliqua de rebus cælestibus meditatione divini amoris flammam in se ipse excitare cogeretur. Tanta vero plerumque, cum precibus insisteret, cælestium gaudiorum copia perfundebatur, quantam sustinere vix poterat; eamque ob rem non humi solum sese prosternere, sed his etiam vocibus ad Dominum clamare opus habebat: Sat est Domine, sat est; contine jam, [non sine periculo vitæ ex animi ardore,] quæso, undas gratiæ tuæ. Quodam die cum ex nimia istiusmodi dulcedinum vi haud procul exitio abesset, majore quam antea animi impetu divinam cœpit implorare clementiam: Recede a me, Domine, aiebat, recede; quandoquidem tantam cælestium gaudiorum

molem sustinere, mortalis cum sim, nequeo: en morior, Domine, ni confestim succurras, ni opem feras: Cumque ille hunc in modum diutius precatus esset, lenivit Dominus aliquantulum (ut ipso referente cognovimus) summum animi ejus ardorem. Ergo mirandum non est, si suo ille doctus periculo dicere soleret; vere Deum amanti nil gravius, nil durius, aut molestius posse vita ipsa contingere. Sancti enim viri mortem in desiderio, & vitam in patientia habere dicuntur.

[8] [& variis tentationibus diaboli:] Ea in peregrinatione ecclesiarum (qua ille, ut dictum est, utebatur creberrime) sicuti magna a Deo dona accipiebat beneficiaque, ita contra a diabolo, ut illum ab instituto absterreret, multa sustinuit invitus. Eum etenim modo hac, modo illa aggrediebatur via; nunc ardentes ad libidinem faces subjiciendo, quas ille tentationes lacrymis semper orationeque vincebat, nunc aliis artibus eum assidue divexando: quibus nihilominus tantum abest ut Philippo quidquam nocuerit, ut maxime profuerit; occasionem illi nimirum præsentissimam praebens gloriosi triumphi, de hoste immanissimo erigendi. Illud porro eidem hac in peregrinatione accidit memoria sane dignum. Obeunti nocte intempesta, nullo sibi adjuncto comite, eas de quibus loquimur ecclesias, tres illico dæmones sese ejus deterrendi causa, ad Caput-bovis, sic dictum locum, objiciunt; quorum ille truci aspectu non modo non motus est, sed eos etiam per contemptum, nullo trepidationis signo dato, quod cælestibus munitus præsidiis sub umbra divini lateret auxilii, præteriit; cæptumque iter, ut fortiter, ita constanter peregit. Id ubi advertere infesti illi nequitiæ spiritus, omni eum superandi spe dejecti, sese subito proripiunt. Atque ejus fere generis per id tempus plane multa alia a dæmonibus in hac ipsa peregrinatione sustinuit; sed ubique novis a diabolo tentationibus roboratur. Verum, quæ ille a Deo acceperit dona, horum ipse sibi conscius erat, [cavet vanam gloriam:] ceteros

interiora quæque celata esse volens. [Hom. Euang. 11.] Noverat enim Gregorii sententiam, dicentis; Deprædari vult, qui thesaurum palam portat in via: illudque præterea crebrius apud se reputabat; Secretum meum mihi, secretum meum mihi. [Esa. 24.] Testantur sane omnes, qui Philippo intimi erant, numquam se hominem vidisse, qui ab humanis laudibus æque atque ille abhorreret, aut qui de se ipse sentiret prædicaretque demissius: quandoquidem neque scientiam, qua præclare instructus erat, neque sanctimoniam vitæ ostentare visus est unquam; sed tum verbo, tum incessu, tum reliquis, modestiam imprimis gloriæque contemptum præseferre nitebatur: spiritum enim ille, mortificationis qui dicitur, perpetuo coluit. Quocirca miretur nemo, si de occultioribus ejus rebus gestis pauca admodum enarrari poterunt. Illud sane pro comperto habetur, quod ex illa peregrinatione, ut maxima incrementa virtutum pertulit, ita plurimas contra dæmones clarasque victorias reportavit.

[9] [Nosocomio inservit:] Philippus interim his non contentus, nosocomia publicaque valetudinaria adire cœpit, seque totum ministrandis ægris tradidit. Ergo miserorum lectos circumiens, mœstos blande solabatur, perditos cælestium bonorum spe recreabat, cunctos ad patientiam honestatemque vitæ hortabatur: animam agentibus præsto erat, quibus tanta ille cum animi alacritate ac diligentia dies noctesque ministrabat, ut cuncti obstupescerent; nec prius eos deserebat, quam illi e vita migrassent. Neque is labor irritus fuit; ex eo enim magnos collegit salutis animorum fructus. Et hæc quidem consuetudo inter laicos homines ægris in xenodochio jacentibus inserviendi, tum primum longo forte intervallo ante id tempus intermissa, rursus initium habuit. Perseverantia in illo admirabilis fuit. Florentiam, in qua natus educatusque erat, nec vivente, nec mortuo patre repetiit: Roma numquam, nisi Ecclesiarum visendarum

gratia egressus est. In omni vita sui ipsius contemptui, Christi Domini nostri aliorumque Sanctorum exemplo incitatus, perpetuo studuit. Vitam complures annos eremiticam propemodum duxit, [Vitam austere parceque instituit.] lacrymis se magis quam pane reficiens; singulis diebus sese flagellis quam acerrime cædens; super nudam humum cubans; simplicem panem cum pauculis nonnumquam olivis, herbulis, seu pomis ad cibum, & simplicem aquam ad potum adhibens. Eam vero parsimoniæ frugalitatisque rationem ad extremum usque diem propemodum retinuit: Sacerdos enim factus, mane jentaculo perbrevi, vesperi exigua cœna corpus reficiebat; vino modico, eoque, maxime diluto, frequenterque simplici aqua ad sitim usus. Erant ei cœnæ vel bina ova mollia sive sorbilia, vel olera, vel demum legumina, omnia sale acetoque condita; plura autem fercula sibi in eadem mensa apponi haudquaquam permittebat. Carnem raro obsonii loco adhibuit: nulli unquam ferculo, quamvis per totum triduum jejunus, arrisit; lactis & quæ lacte conficiuntur nihil, quoad vixit, gustavit; pisciculis rarius vescebatur; pulte abstinebat.

## CAPUT II.
## Acta Vitæ usque ad Ordines Sacros & annum ætatis 36.

### Æt. 24 & 28 Chr. 1538 & 1543.

[10] Laicus admirabilem in terris vitam ducebat; videres enim in eo incredibilem caducarum rerum omnium contemptum, summam animi demissionem, vehemens orandi studium, miram ciborum parsimoniam, amorem in Deum maximum. Ad Christianæ perfectionis culmen ubi his gradibus ascendit, ad proximos adjuvandos, [Curandæ animarum saluti se impendens,] anno hujus seculi circiter trigesimo octavo, evocari se sensit. Decebat enim ut id lumen, non sub modio amplius, sed super

candelabrum Ecclesiæ poneretur, quo iis qui in domibus Dei sunt luceret. Ibat diebus singulis in eum Urbis locum, quem Florentini mercatores incolunt: ubi sermonibus de rebus piis ita juvenum animos ad sectandas virtutes incitabat, ut illorum complures ad pietatem amplectendam converterit. Eodem itidem consilio scholas frequentare consueverat. Illud vero summæ Philippo curæ erat, ut in facinorosissimi cujusque amicitiam sese insinuaret; [multos convertit peccatores,] arbitratus nimirum, ut quisque maxime opis indiget, ita ei potissimum opitulari. Nec sane frustra id erat; quandoquidem multos, Deo bene juvante, e corruptis moribus, ad emendatiorem vitam traduxit. Nec deerant qui tantam Philippi sanctimoniam mirarentur, ut qui cum flagitiosissimis hominibus tam familiariter, nullo sui malo, atque maximo illorum emolumento, versaretur. A feminarum vero consuetudine, suæ castimoniæ insidias timens, abstinuit. Homines quot plures poterat Christo adjungere nitebatur; tot enim tantosque, sermonibus simul de rebus divinis, simul sanctimoniæ ac frugalitatis exemplo, ut se variis Religiosorum familiis addicerent, impulit; ut Beatus Ignatius, Societatis Jesu institutor & auctor, [multos ad religionem inducit:] Philippum Patrem campanæ seu tintinnabuli vocabulo comiter insigniret; utpote qui alios ad Religiosorum familias cum mitteret, ipse in seculo permaneret. Quod tamen divinitus factum esse, nemo est qui ambigat: nam ejus opera (ut res ipsa indicavit) uti volebat Dominus ad novam instituendam vitæ rationem, toti Ecclesiæ mortaliumque saluti proficuam. Ex quo quidem instituto, quod in hanc diem certissimo cum fructu retinetur, homines cum sanctitate tum doctrina insignes evaserunt. Hoc vero non silendum, ea fuisse B. Ignatium sanctimonia, a Philippo dici solitum, ut animi ejus interior pulchritudo foris promicaret, in cujus oculis vultuque coruscantes lucis radios sæpe a se visos esse profiteretur.

[11] Quodam die cum per Amphitheatrum, ab Imperatoribus Flaviæ gentis constructum, [novis tentationibus premitur a dæmone,] hodie Colisæum vulgus appellat, iter haberet, animo Lateranensem Basilicam invisendi; dæmonem pauperis forma nudo corpore obvium habuit. Quo viso, cum impuræ quædam cogitationes ejus animum subiissent, ipso ad orationem confugiente, omnis ea tentatio confestim abscessit, & diabolus turpiter victus inde aufugit. Memini me audivisse beatum Patrem, qui diceret, eam tentationem non ex carne, sed ex ipso dæmone provenisse; atque se omnino credere (ita enim qua erat animi demissione loquebatur) pauperem illum, dæmonem, non hominem fuisse, quamquam hominis specie sese illi videndum objecit. Novimus enim diabolum his aut certe consimilibus artificiis sanctissimos viros oppugnare solitum: cujus rei præclarissimum testem habemus sanctum Gregorium Papam in historia, quam de rebus gestis magni illius Monachorum Occidentis Patriarchæ Benedicti litteris mandavit. Post hæc cum humani generis hostis Philippum nulla ratione adduci posse cognosceret, ut sua sponte de hujus virtutis statione decederet; cum per vim nolentem & coactum iterum decrevit evertere. Ergo adolescentium quorundam perditorum impudicis moribus in ejus virginitatem accendit invidiam. [& a lascivis adolescentibus,] Hi, cum Philippus forte domi cujusdam, solita obeundi causa caritatis officia, moraretur; tempus nacti opportunum, quo gravissimam impudicitiæ labem ejus animo adspergerent; non satis esse duxerunt, si egregiæ unius viri abstinentiæ unius mulieris libido opponeretur; binas feminas, omnium (ut creditur) impudentissimas in eum immittunt, & in eodem cubiculo, ipso prorsus inscio (indignum facinus) ut omnis fugæ spes præriperetur, includunt. Sed pius Dominus, cujus ille causa id patiebatur, servum suum (qui unde fugeret, clausis undique cubiculi foribus, non habebat) non modo non deseruit, sed nulla prorsus impudicitiæ labe

pollutum, ex eo eripuit periculo. Nam cum ardentissimis precibus divinam imploraret clementiam; speraretque eum, [per meretrices duas immissas.] qui tot sanctarum Virginum corpora, palam ad omnium hominum libidines divulgata, integra ab omni labe servavit, sibi in simili periculo non defuturum; non fefellit periclitantis servi fidem divina benignitas, & deficientibus humanis opibus suum suppeditavit auxilium. Vix impudicæ illæ mulieres conjecerant in eum oculos, cum, sive metu aliquo divini supplicii perterritæ, sive pudore tactæ, vel (quod credibilius est) sancti juvenis, cujus pudicitiæ insidiabantur, auctoritate permotæ, in quemdam cubiculi angulum recessissent; nunquam non modo manus castissimo corpori, sed ne inferre quidem oculos ausæ sunt. O magna virtutis vis, quæ lucet inter tenebras, splendetque per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit! O summus splendor honestatis, qui non solum in eo enitet, in quo est, sed in ipsos etiam improbissimos homines, cum ad eum accesserint, redundat! Sed nunc ad Philippum redeamus.

## A. Æt. 29, Chr. 1544

[12] Singulis diebus Philippus Spiritum sanctum quam poterat ardentius precabatur, ut eum suis donis ornaret; [Ingenti amoris ardori capiendo,] nullumque abesse sinebat diem, quin ejus opem imploraret. Nec incassum hæc fuerunt. Nam laicus cum esset, annum vitæ trigesimum non attingens, Christi scilicet anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, ea repente spiritus vi repleri se sensit divinitus, eoque impetu, ut cor illico sibi intra corpus saltitare cœperit, eoque ardore inflammari, ut eum natura, inusitata quadam cordis palpitatione, omnino se ferre non posse significaret. Quamobrem benignus Dominus, quo illum ad plurimorum salutem diutius conservaret, confractis, atque in pugilli eoque majorem amplitudinem elatis duabus sinistri

lateris costulis, quarta scilicet & quinta, ejusdem cordis sinum, quo id liberius ageretur, mirum in modum ampliavit. [costæ laxantur per miraculum:] Erat istiusmodi fractura in anteriore parte pectoris, ubi costæ in cartilaginem desinunt. Quo ex tempore adeo vehementer, amplius quinquaginta totos annos, agitari concutique cœpit assidue plus minusve, mox atque mente rapiebatur in Deum, ut non modo toto corpore contremisceret, verum etiam lectulus ipse, aliaque omnia quibus ille insidebat, quasi terræ motu acta, eo orante quaterentur. Quæ cum illi (cui corpus quadratum erat, neque gracile, neque obesum) sine ullo doloris sensu evenerint, & ad extremum usque spiritum sine dolore manserint (nullæ enim nec intus nec foris punctiones doloresve sentiebantur) omnino supra vires naturæ fuisse, ac divinum prorsus miraculum, Medici omnes, qui ejus dum viveret curationi & postea corporis sectioni interfuere, una voce testati sunt. Mirum profecto erat hominem videre ætate confecta; plus quinquaginta annos, continuas voluntariasque cordis concussiones palpitationesque patientem. Crederes illum humana jam omnia fastidientem, Davidis instar Domino dicere; Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? [Ps. 54.] Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! [Ps. 129.] Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

[13] Hujus præterea doni cælestis vi, tanta quoad vixit spiritus divinæque dulcedinis affluentia replebatur, [eum ut temperet cogitur distractiones accersere,] ut mentem a cælestibus avocare, animumque sæpissime ad terrena convertere, ut Sacrum facere posset, cogeretur: quod non eo solum referente cognovimus, sed re ipsa comperimus. Quamquam enim ille omnem adhibebat curam se a divinis avocandi, cum rem sacram facturus pergeret, ut uni & alteri ex iis qui sibi noti erant indicavit; vix tamen, quod nos plus millies hisce vidimus oculis, sacrificium absolvere poterat. O magnam sancti Spiritus vim! Alii

etiam sanctissimi viri, horis prius aliquot precationi impensis, prævia diligentique præmissa præparatione, omni ope contendunt, ut aliquid pii in Deum affectus, cum rem sacram acturi sunt, acquirant; hic autem his adeo abundabat, ut non modo nulla egeret præparatione; verum etiam, cum tot tantosque divinitus immissos ardores sustinere nequiret, animum suum quam maxime poterat ab illis divellere cogeretur, Deumque ne majores tribueret indies rogare. Id præterea in illo is spiritus efficiebat longe mirabilius, ut eum precibus insistentem sublime tolleret. Media vero hieme, quo tempore maximum in urbe frigus esse solet, [& refrigeria pectori admovere,] ad postremum usque diem (quis crederet?) ita derepente eo orante ipsius cor corpusque divino æstuabat igne, ut validissima, ne æstu necaretur, refrigeratione indigeret. Hinc ille octogenarius, modicissimo cibo contentus, omni propemodum nativo calore destitutus, ut eam amoris flammam aliquo modo restringueret, pectus nudare, fenestras foresque cubiculi media nocte pandere, linteisque ac flabellis aliave opportuniore aëris agitatione uti, ad se refrigerandum, necesse habebat: & quidem ni cordi, interno ac divino consumpto calore, hisce rebus festinanter subvenisset, repentino certe interiisset.

### Æt. 30 & 33.

[14] In iisdem rebus hoc fortasse etiam ponendum. Causam quodam die hujus tam miræ ac novæ ejus cordis agitationis a Federico Cardinale Borromæo interrogatus, [corde jugitur palpitante.] præsertimque num dolore aliquo in ea sustinenda afficeretur; a Spiritu sancto eam accepisse modeste respondit. Laicus cum essem, dicere cœpit, sanctum Spiritum, quam suppliciter poteram, quotidie rogare consueveram, ut mihi opem ferret, animumque meum donis suis cumularet. Quodam die, cum eum de more orarem, meas exciperet preces; ipso

tandem volente factum est, ut cordis agitatio, de qua rogas, quæ nullos unquam dolores movit, initium habuerit. Simulque adjunxit, Possem equidem eam cohibere, sed ne animum inte orandum a divinis avocare, atque ad eum motum cordis comprimendum referre cogar, idcirco ab ea re desisto. Illud hic addam, quod ejus cor adeo hujus agitationis vi æstuque fervebat, ut calor ex eo proveniens ad totum plerumque corpus sese diffunderet. Cum Philippus instituto suo in proximorum salutem incumberet, adjunxit ad Christum anno hujus sæculi quadragesimo septimo, Joannem Manzolium Florentinum, & deinde Henricum Petram Placentinum: qui Sacerdos de ipsius consilio factus, Congregationis Clericorum doctrinæ Christianæ postmodum amplificator fuit.

## A. Æt. 34.

[15] Cum miro flagraret desiderio proximos modis quibus posset adjuvandi, una cum Persiano Rosa, insignis pietatis Sacerdote, Sodalitium sanctissimæ Trinitatis nomine instituere aggressus est: consilium autem id fuit, [Sodalitium S. Trinitatis instituit,] ut domus a consodalibus, pauperibus qui e recenti morbo convalescebant, peregrinisque hospitio excipiendis, aperiretur. Initium habuit Societas in ecclesia S. Salvatoris, cui a Campo cognomen, anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, mense Augusto, quinta hebdomadæ tertiæ feria. Primi, qui in hanc Societatem inscribi cœpti sunt, humanis divitiis inopes fuere, sed Christi gratia divites, omnesque sane ad quindecim. Conveniebant hi in ecclesia S. Salvatoris frequentissime, ibique sacra omnes Confessione expiati ac Pane cœlesti refecti, novo animi ardore ad pietatem accendebantur: Philippum præterea cuncti, ut parentem, & unice diligebant & valde reverebantur. Primo cujusque mensis Dominico die, quadragenarum horarum supplicatio decreta a Fratribus, quo tempore Philippus

adeuntes sua præsentia mirifice solabatur, omnes vitæ suæ exemplo piisque sermonibus confirmans, & ad virtutem pietatemque vehementer accendens. Totas præterea noctes ibi pene ducebat insomnes: Fratres ipsemet ad orationem vocabat: ubi precando finem fecerant, Abiit hora, dicebat, qua orare, non qua peccata lugere pietatemque sequi tenemini. [& piis colloquiis multos convertit;] In hac ipsa ecclesia frequentes de rebus divinis sermones a Philippo habebantur: sermonibus intererant & Fratres & exteri. Ex colloquiis is fructus colligebatur, ut audientes, ipsius verborum vi incitati, ad eluendas animi sordes mirum in modum se impelli sentirent. Ejus porro is in dicendo ardor erat, ut cum solus inter sodales esset, qui de rebus piis loquendi munus obire posset, totos frequenter dies multamque noctis partem in istiusmodi colloquiis, sui propemodum oblitus, consumeret. Et sane operæ fructus egregius Dei beneficio constitit: unico enim retis jactu ad triginta juvenes, qui vel argentariam vel mercaturam faciebant, hamo verbi Dei capti sunt, atque a perdita vita ad honestam revocati. Illud non involvam silentio. Qui initio huic Societati nomina dederunt, non vulgari claruisse sanctitate. Coquus enim domi, ut Beato Patre narrante didici, ad eam vitæ puritatem venerat, ut Deo adjutore tantam in orando facultatem adeptus sit, ut e cæli siderumque aspectu, quo maxime capiebatur, confestim in Dei notitiam amoremque raperetur. Alter erat, qui cum gravi oppressus morbo in lectulo jaceret, Margaritæ sorori, Scribe, dixit, feria sexta, hora tali, certam designans, moriar. Quod & factum est.

## A. Æt. 35.

[16] Cum Philippus anno hujus seculi quadragesimo nono, omnibus nervis contenderet, atque in hoc elaboraret, [in quibus fuit Prosper Cribellius:] ut novos Christo filios acquireret, Prosperum Cribellium, civem Mediolanensem,

eidem lucrifecit; is ubi primum ipsius hortatu Dei colendi desiderio accendi se sensit, illico ad Joannem Polancum, Societatis Jesu Sacerdotem, animo confitendi de peccatis suis, venit. Sed cum is Sacramentalem absolutionem Prospero denegaret (quod ab ædibus viri nobilis, apud quem auctoritatis habebat plurimum, ubi multæ sese illi gravissime delinquendi dabant occasiones, recedere nolebat) Beatum ille mox Patrem mœstus adit, eique rem totam, ut erat, exponit; rogatque obnixe, precibus pro animæ suæ salute insistat. Huic Philippus bonum habere animum jusso, operam pollicetur suam, nec sane frustra: Prosper enim brevi Beati Patris precibus adjutus, ab omni ea difficultate molestiaque ab illa domo abeundi liberum se solutumque advertit.

## A. Æt. 36.

[17] Decreverunt Fratres anno hujus seculi quinquagesimo, qui Jubilæi celebritate insignis extitit, domum excipiendis hospitio peregrinis, qui ante id tempus conferti sub dio cubitabant in via, conducere. [colligendis hospitio pauperibus,] Id autem Jubilæi occasione actum est: nam cum pauperibus nullum esset in urbe hospitium, nullumque receptaculum, jacere ii cogebantur in publico, frigore, fame, aliisque incommodis confecti. Hoc ergo spectaculo commotus Philippus, tantæ calamitati omni ope subveniendum putavit; reque cum aliis communicata, quemcumque extrema inopia periclitantem reperirent, in id hospitium, vel inter manus vel gestatoria sella devehere, adeuntesque omnes hospitio benigne suscipere statuunt, cunctis quæ ad victum necessaria sunt abunde suppeditatis. Ea erat Sodalium erga peregrinos caritas, ut quibus rebus possent eos adjuvarent; illeque altero videbatur beatior, cui datum erat, ut ipsis excipiendis primus occurrisset. Sed non possum ego satis narrare pium Fratrum in hos pauperes affectum. Alios enim cerneres peregrinorum

pedes lavare, [se cum sociis impendit,] alios recens admissos suavissimis solari verbis, hos cibos excoquere, illos fercula ministrare, hos lectulos sternere, illos pavimenta verrere. Atque in hæc pietatis opera ea animi promptitudine vultusque hilaritate incumbebant Sodales, ut eorum virtus omnibus admirationi esset. Interea tanta fuit exempli vis, ut non defuerint, qui in hanc Societatem recens erectam se adscribi fecerint. Decreverunt interim Sodales, ut certæ ædes ad peregrinos hospitio excipiendos constituerentur, ubi quolibet anni tempore benigne per triduum alerentur: qui usus in hunc usque diem sancte laudabiliterque retinetur. Sed nec his contenti, cum viderent pauperes e xenodochiis, quod melius habere inciperent, viribus nondum plene recuperatis dimissos, victus tectique penuria fatigatos, in eosdem morbos recidere, qui vitam quandoque hauriebant; his incommodis pro viribus occurrere decreverunt. Ergo statutum est inter eos, ut qui locus excipiendis peregrinis usui esset, ille ipse hisce hominibus pateret, dum pristinæ valetudini virtutique restituantur. Atque id aliaque, ipso potissimum Philippo adjutore, agebantur: illic ipse dies, illic noctes insumere, pauperibus ministrare, ceterosque ad opus excitare in more habebat. Hæc itaque prima est hujus Sodalitatis institutio, [magno cum exempli fructu:] quæ e parvis initiis, in eam quæ hodie conspicitur amplitudinem excrevit. Deinde vero processu temporis, nobilibus quibusdam viris, qui ei nomen dederant, visum est, ut Sodalitas ex ecclesia S. Salvatoris in ecclesiam sanctissimæ Trinitatis transferretur. Ubi illud brevi incrementum accepit, quod toti post Christiano orbi, non sine maxima Dei gloria, palam factum est. Cujus deinde pietas, & in universas Italiæ Sodalitates incredibilis liberalitas, anno Jubilæi proxime elapsi, Gregorio XIII Pont. Max. singulariter enituit. Et nunc etiam Clementis VIII Jubilæo maxime enitet.

[18] Philippus, quo majoribus a Deo singulos dies augebatur beneficiis, [noctu eleëmosynas ferens,] hoc vehementiore ei inserviendi desiderio accendi se sentiebat. Intempesta itaque nocte, cum somno sepulti sunt omnes, ut nesciret sinistra, quid faceret dextera, miserabilium personarum domos obibat, quibus, quæ ad victum necessaria erant, large abundeque suppeditabat. Nocte quadam, cum hic instituto suo occupatus, panem viro cuidam nobili sed pauperrimo, deferret; diaboli opera factum est, ut intentus ille, quo pacto currum, præcipiti cursu se ferentem, declinaret; mox in altissimam foveam casu delapsus sit. Sed Domino opem ferente, ab Angelo confestim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur; indeque nulla læsus ex parte ab eodem incolumis eripitur. [divinitus e fovea educitur,] Incidit ea res in annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum. Quodam die, cum pietatis opera ardentius quam solebat sequeretur, Angelus pauperis specie ei sese ostendit, [ac] stipem petit: cui cum ille quam habebat pecuniam libenti promptoque animo elargiretur; Experiri veneram, dixit ei illico Angelus, quid facturus eras: & his dictis evanuit. Qua ex re, eo Philippus miserationis affectu in pauperes ferri cœpit, ut ex eo die nemini unquam poscenti eleemosynam negaverit. Pauperibus viris ac feminis, quibus opus habebant, abunde suppeditabat. Juvenibus, ad literarum studia propensis, pecunia & libris ac vestibus non deerat. Hebdomada nulla erat, quin eleemosynam iis, qui in carcere detinebantur, [Multis liberaliter succurrit.] mitteret. Nemini pauperum stipem denegabat. Cum pauperrimæ feminæ nuditas eo audiente commendaretur, suam sibi vestem detraxit, ut inopi traderet. Egenis adolescentibus, quibus cupiditas erat cœnobiis se mancipandi, probato eorum spiritu, tantum donabat pecuniæ, quantum coëmendis vestibus, ad institutum quod amplectebantur appositis, satis esset, Jure ergo meritoque de eo dicere possumus, nihil

habebat, & omnia possidebat: quandoquidem beneficium ille ecclesiasticum possedit nullum, pecuniæ contemptor eximius, ut si quis alius: tamen in omni vita nihil ei unquam, nec ad proprium usum, nec ad aliorum sublevandam inopiam defuit.

[19] [Intelligit sibi in urbe vivendum velut in solitudine,] Philippus interim divinæ voluntatis cupidissimus, Dominum precabatur assidue, ut sibi quam vitæ rationem sequi se vellet, ostenderet. Solitariam vitam amplecti (nihi Deo aliter visum esset) sibi in animo erat: sed incertus, num id maxime ad Dei gloriam pertineret, ad explorandam ejus voluntatem assiduis precibus dat sese, eam ingredi viam paratus, quam Dominus elegisset. Diu itaque in ejusmodi cogitatione versatus, audiri tandem meruit. Quodam etenim die, orationi sub ortum solis intento, S. Joannes Baptista apparet; quo viso mirifice recreatus Philippus, in eam denique mentem divinitus impelli se sensit, ut omni dubitatione sublata, non uni sibi, sed & proximorum saluti vacare decerneret. Rogatus causam altero die, cur tanta parsimonia victitaret; Oranti mihi, subjecit, ostenderunt sese duæ animæ, Sanctorum jam gloria decoræ; quarum una frustulo aridi panis, quod manu tenebat, se vesci simulabat. Cumque quid sibi ea re vellent, pernosse cuperem, ea vox audita; Voluntas Dei est, Philippe, ut in media Urbe, quasi in deserto loco vitam agas. Quibus mihi verbis significatum est, ut continenter sobrieque viverem. Hinc (qua erat humilitate) carnem se idcirco raro ad cibum adhibere dicebat, quod sibi nocumentum afferet; quod virtutis erat, valetudinis vitio tribuens.

## CAPUT III.

### Sacerdotio initiatus Sanctus, impensius cœptis erga proximum muneribus vacat.

## Æt. 36.

[20] Cum beatus Pater magna dedisset sanctitatis iudicia, visum est Persiano Rosæ, ejus Confessario, illum non modo inducere, verum etiam impellere, ut Ecclesiasticis Ordinibus initiari quamprimum curaret: ad eum enim diem, imitatus Sabam a aliosque innocentia vitæ claros, quos sic ex humilitate fecisse noverat, [Suadente Confessario,] ab omni Ordinum gradu se abstinuerat. Unum illud exoptabat, ut laicus permaneret; non quo Sacerdotii apicem non admiraretur, verum quia eo se munere indignum prorsus judicabat: quod tamen ei non contigit. Ubi enim cognovit ille, Persianum ea esse mente, ut Sacerdos fieret: statim, ne onus sibi assignatum a Deo defugere videretur, ejus decreto sibi obtemperandum duxit. Anno itaque salutis humanæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, in ecclesia S. Thomæ Regionis Parionis, mense Martio, cum annum prope sextum & trigesimum confecisset, prima Tonsura, [susceptis Ordinibus sacris,] quatuor Minoribus, & Subdiaconatu initiari cœpit; Diaconatu vero non multo post in nobilissima antiquissimaque Basilica Lateranensi anno eodem, die sabbati sanctioris majoris hebdomadæ, qui dies in IIII Kal. Aprilis eo anno inciderat; demum Sacerdotio in eadem ecclesia S. Thomæ, eodem itidem anno, decimo Kal. Junias. Ceterum, qua adhibita præparatione, quibusve animi motibus, his Ordinibus initiatus fuerit, malo in aliorum consideratione relinquere, quam in historia mea ponere. Evectus fuit beatus Pater per omnes Ordinum gradus ad apicem Sacerdotii ritu solenni, ut fieri solet, a Joanne Lunellio, Episcopo Sebastensi; Philippo Archinto per id tempus Julii tertii Papæ generali Urbis Vicario.

[21] [Sacerdotibus piis in æde S. Hieronymi se jungit.] Sacerdos pristinam in victu parsimoniam perpetuo servavit, ovis tantum vel oleribus aut leguminibus ad

cibum adhibitis: si quando tamen cum aliis vescebatur (quod ille non raro lucrandarum animarum gratia facere solitus erat) omnem prorsus, quoad ejus fieri potuit, singularitatis atque ostentationis notam evitavit. Quam postea consuetudinem eo consilio, ut omnibus omnia factus, omnes Christo adjungeret, ad multo annos retinuit. Sacerdotio initiatus cogitare mox cœpit de templo S. Hieronymi, quod a Caritate cognomen accepit, incolendo; ut ibi, quoad Deo placuisset, vitam degeret. Erant tunc eo in templo præclari aliquot Sacerdotes, pii admodum & Religiosi, nempe Persianus Rosa, Philippo a confessionibus; Bonsignorius Cacciaguerra, Nobilis Senensis, ex ditissimo mercatore Christi Sacerdos; Franciscus, civis Aretinus, vir eruditus, qui multam doctrinam Angelica quadam cum puritate conjunxerat, quique mortuo Persiano ejusdem beati Patris Confessiones audivit; Franciscus alter Hispanus, doctus æque ac pius, sed caritate in pauperes & austeritate in se ipsum admirandus. Vivebant hi Sacerdotes eodem tecto, sed quamquam eodem adjuvandorum proximorum desiderio flagrabant, vitam tamen pro se quisque diuersa ratione, prout Spiritus suggereret, ducebat; suaque curabat pro arbitrio, separatimque cibum capiebat. In id templum itaque admissus Philippus, Sacrum singulis diebus faciebat. A Sodalibus Caritatis nihil unquam præterquam cubiculum unum, & illud quidem angustum, accipere voluit: eo enim, non mercede aliqua ductus, sed habitatione tantum contentus, quo liberius commodiusque in proximorum salutem incumberet, sese receperat.

[22] [Confessionibus audiendis sedulo vacat,] Hoc ipso anno, cum summa esset in Urbe annonæ caritas, sex ad Philippum panes deferuntur. Sed quid ille? Acceptos panes non attingendos sibi, sed pauperibus tribuendos putans, Hispano cuidam Sacerdoti pauperi, in Christi Domini nostri gratiam, hilari vultu largitur. Quo peracto, cum quæreretur ex eo quid causæ esset, quod portionem

suam omnem egenti Sacerdoti tribuerit; modeste id se fecisse respondit, quod crederet facilius panem se ab amicis accepturum, quam Sacerdotem illum peregrino cælo natum. Quid plura? Illo ipso die paucas duntaxat olivas gustavit. Philippi opera Henricus Petra Placentinus, quem laicus cum ille esset Christo pepererat, Theseusque Raspa Sacris initati sunt, & in templum S. Hieronymi ad habitandum inducti; ubi Bonsignorio duce, magnos in spiritu progressus habuerunt; præcipue vero Henricus, qui reformandis postmodum Monialibus, aliisque ecclesiasticis muneribus, ad Cleri mores templorumque cultum exornandum, diutino gratuitoque labore, toti Urbi utilitati eximiæ fuit. Hos secutus est Petrus Spadarius, mitis Sacerdos ingenii, Deo hominibusque carus: atque is ultimus ex Presbyteris ejus ecclesiæ fuit, apud quem Philippus post Francisci obitum Confessiones peregit.

[23] [miro cum gustu etiam corporeo communicans.] Sacerdos, numquam intermisit diem, nisi ægritudine detineretur, quin rem divinam faceret. Æger singulis diebus Panem cælestem accipiebat. Initio Sacerdotii, cum in ecclesia S. Hieronymi Sacrum ageret, tanta repente divini Spiritus abundantia replebatur, ut aquam vinumque in calicem de more infundere vix posset: adeo enim ejus manus in altum attollebantur, ut exilire quodammodo & saltitare viderentur; atque ille, nisi brachio ad altare tamquam adminiculo, maximo adnixus studio, cœptum opus prosecutus esset, nihil egisset unquam. Hujus divinissimi Sacramenti, supra quam dici potest, cupidissimus amantissimusque, vel ex eo solum quod vacuum calicem in manibus teneret, incredibili perfundebatur lætitia. Quo tempore salutarem Hostiam de more attollebat, ita ejus mens rapiebatur in Deum, ut manus sublime erectas deponere non posset. Retulit ille postea, videri sibi se ab aliquo apprehendi, atque alte a terra per vim mirabiliter sustolli. Eamque ob rem in hanc deinde se dedit consuetudinem, ut salutarem Hostiam,

quanta maxima posset celeritate, attolleret & demitteret. In Sacro faciendo, ubi vel maxime ad Offertorium ventum erat, ea afficiebatur dulcedine, ut inter celebrandum toto corpore contremisceret saltitaretque: quos ille impetus ut reprimeret, vertere se sæpissime consuevit, nunc in dextrum latus, nunc in sinistrum, modo demum caput perfricare manu.

[24] [sub eo frequentes ecstases patitur,] Unum hoc tacitus præterire non possum, in quo divini amoris vis evidenter apparet. Mos illi erat, ut sine impedimento rem divinam ageret (raptus enim & ecstases timebat) ut, antequam sacris se indueret vestibus, id omni studio ageret, ut spiritus vehementiam ardoremque quo assidue æstuabat utcumque comprimeret: numquam enim ille cum subito abstractus a sensibus tota mente in rerum cælestium contemplationem raperetur, Sacrum fecisset absolvissetque, nisi in unam illam rem incubuisset ut animum a divinis avocaret. Et hæc quidem quamquam ille faciebat, eos tamen divini amoris impetus sustinebat, ea perferebat spicula, quibus illi divina illa flamma cælestisque amoris ignis totum undequaque corpus adurebat, ut lacrymis totus conficeretur; singultus frequentissimos, dum cælestis illius patriæ jucunditatem contemplaretur, atque humanæ naturæ fragilitatem apud animum suum accuratius intueretur, eliceret; & veluti in veteri instrumento divinus ille David ante Arcam, in qua cælestis thesaurus recondebatur, saltitaret: quibus fiebat, ut cogeretur sæpissime a Sacro faciendo eousque cessare, quoad vires corporis, quas Christi amor abstulerat, iterum se collegisse sentiret. O virum Deo plenum! O virum, quem spiraculum illud veri Spiritus aspiravit, & se sibi subtraxit! Cum sponsa in Canticis tute ipse dicere jure meritoque poteras; Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem: fulcite ergo me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

[25] Absoluto Sacrificio, ita nonnunquam abstractus a sensibus apparebat, [Sacrificio Missæ valde addictus,] ut exanimatum magis quam vivum crederes. Sed hic me locus admonet, ut ponam aliquid de gustu, quem ille in Sanguine Christi ebibendo, ejusque Carne degustanda habebat. Is erat, ut crediderint qui ab ejus numquam latere discedebant, eum ipsius Sanguinis, ipsiusque Carnis saporem percipere, perinde atque nudam carnem nudumque sanguinem gustaret. Labia ille sibi avidissime lambebat, iterum ac sæpius calicem ori admovere observabatur, nullumque de adstantibus non modo propius ad altare, sed ne manere quidem unde ipsius facies conspici posset, permittebat. In desumendo Sanguine, sonus in ejus gutture is audiebatur, ut putares aliquid degustare, quod ob ejus pinguedinem crassitudinemque Sacerdotis palato inhæresceret. In ea calicis parte, ex qua Sanguinem hauriebat, indicia dentium erant; aurumque ipsum, quod ibi circum erat, quamquam recens, brevi obscurabatur. Purificationem, quam dicunt, dari sibi nolebat, donec ipsemet petiisset. Denique divinissimi hujus Sacramenti usque eo deliciis capiebatur, ut suavissimam Christi carnem sanguinemque pretiosissimum in ore tenens non statim glutiret, sed paulatim guttatimque in stomachum defluere sineret. Nec minus insignis ejus pietas in Sacro faciendo, Christique corpore degustando, quam in ministrando fuit: sed ne in re nota atque apud omnes pervulgata operam frustra conteram, aggredior ad alia.

[26] Sacerdos factus Confessionibus excipiendis, invitus licet, præficitur, aliisque obedire magis, [annonam suam egenti largitur:] quam sibi credere elegit: noverat enim Deo pergratum perque jucundum esse, semetipsum ad aliorum voluntatem conformare. Mirum dictu! Nihil Philippo potius erat quam ut solitariam vitam amplecteretur: ne sibiipsi tamen satisfaceret, aliorum voluntatem cupiditati suæ antetulit; Christum ducem

secutus, qui dixerat: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me. Et alibi rursum: Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Confessionibus excipiendis ita sedulo assidueque navabat operam, ut suiipsius oblitus ab ecclesia numquam recederet. Non parva hæc: sed hoc forte mirum magis. Magnam diei partem in his insumebat, numquam tamen defatigabatur; tanta porro cupiditate ardebat errantes animas ad bonam mentem revocandi, ut ex eo solum quod sederet in sella, qua ad audienda crimina utebatur, maximam caperet voluptatem maximamque delectationem. Incredibile dictu est, quot quantosque ex peccatorum cœno ad meliorem frugem reduxerit, quot ejus opera tum viri tum feminæ adducti ut monasticam vitam rite complecteretur; ut esset Religiosorum hominum institutum, quod non plerosque e Philiipi discipulis sibi acquisierit (Prædicatorum vero præcipue familia tali prole fœcundata florescebat) quotve demum magnis sceleribus adstrictos e corruptissimis moribus ad emendatiorem vitam traduxerit; quique post, eo usi magistro, abjectis curis inanibus, totos se ad seria converterint.

[27] Quo tempore primum excipiendis Confessionibus initium fecit, [solicitus tamen ne quid puritas pateretur.] hominum peccata libentius, quam feminarum audiebat: harum crimina excipere quoad poterat fugiebat. Noverat enim ille, virginalis suæ pudicitiæ jacturam timens, dæmones Dei servis, bonis etsi operibus occupatis, insidias moliri non desistere, iis vel maxime qui nimio plus sibi ipsi confidunt. Illud hic attexam, quod tam acer & vigilans custos pudicitiæ fuit, ut coactus mulierum Confessiones audire, eas in ecclesia duris magis quam lenibus verbis exciperet, interdum vultu iram præseferens. Quem morem usque eo se tenuisse narrabat, quoad singulari Dei beneficio obtinuit, ut eas quoquo vellet modo exciperet. Quibus verbis non obscure

insigne illud donum significare videbatur, quo id Deo dante assecutus erat, ut omni plane sensu libidinis caruerit; ut ex eo tempore ad extremum usque diem marmoreæ cujusdam statuæ instar esse videretur. Amplius, audiendis Confessionibus adeo sese occupabat quotidie (quo munere ad obitum usque egregie perfunctus est) ut advenientes filios non paucos (noctes enim ferme totas contemplationibus piisque precationibus insumebat) lecto adhuc decumbens audiret. Surgens summo mane mox ibat in templum, non inde egrediens nisi insigne aliquod aut necessarium opus occurrisset, quod in aliam horam differri haudquaquam posset. Nec quisquam fuit, qui illum in ecclesia non semper, vel certe non facile reperiret; ita omnibus promptam ac gratuitam operam suam præbebat. Templum aut cubiculum assiduus incolebat, vagandi minime cupidus, nisi alio vel necessitas evocaret vel caritas impelleret.

[28] Cum Philippus majore indies cupiditate flagraret flagitiosos homines ad meliorem frugem reducendi, & quos acquisierat filios integros castosque servandi, [Colloquia spiritualia instituit.] ne iterum in vitia delapsi Ægyptum repeterent; cœpit, quo id facilius assequeretur, anno a Virginis partu millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, in suo cubiculo singulis a prandio diebus confluentes, lectulo frequenter insidens (quod Dei amore langueret) de rebus cælestibus erudire. In his colloquiis (quod mirabile dictu est) eam divini amoris vim sentiebat, ut modo toto corpore contremisceret, modo e lectulo in altum attolleretur (crederes eum ab aliquo sic mirabiliter retineri) modo demum lectulus ipse, vel quandoque etiam ipsum cubiculum motu nutare & concuti videretur, terræmotum ibi factum esse putares. Erant hæc iis qui aderant, non ad pœnitentiam solum, sed ad divinum etiam amorem terrenarumque rerum despicientiam incitamenta. Præclari instituti hujus initio

pauci erant (quorum duo erant superstites hæc scribente me) qui eum audirent; sed mox adeo crevit numerus, ut locus, in quo hujusmodi sermones fiebant, auditores non caperet. Quam ob causam, eo relicto, ad alium ampliorem se contulit; ubi eo animi ardore sensuque mentis de rebus spiritualibus loquebatur, ut nullus ferme reperiretur quovis scelere implicitus, quin eo audito resipisceret, & ad saniora sese converteret.

## Æt. 37 & 38

[29] Cum cerneret diabolus, novum Sacerdotem Philippum privatis concionibus sacramentorumque administrationibus complures ad Christum aggregare, [Ab ædituis magnas passus molestias,] statuit piis ejusdem studiis omni conatu se opponere. Erant in templo S. Hieronymi Sacerdotes quidam a sacello, viri perditis prorsus moribus atque apostatæ: hi, ut uni Vincentio Tecosio, qui ex sodalitio Caritatis erat, rem gratam facerent, Philippo, anno hujus seculi quinquagesimo secundo, molestiam exhibere cæperant. Deridebant illum, canino dente carpebant, contumeliis onerabant: quæ ille omnia, ne verbum quidem pro se faciens, constanti prorsus animo tolerabat. Nec hic finis, quotiescumque sese illis nova offerebat occasio hominem probris maledictisque lacessendi, & alio quovis modo perturbandi, arripiebant eam avidissime; id autem eo consilio, ut illum, cujus aspectum ferre non poterant, inde expellerent. Hinc ubi Philippum in sacrarium tendere rem facturum divinam cognoscebant, tum læti mirum in modum effecti, quod nova sibi ejus licentius irridendi fieret facultas, hominem vel ejus loci aditu arcebant, vel certe admissum variis artibus graviter admodum exercebant. Atque ut jejunum inde exire cogerent, nunc Missale, nunc vestes Sacerdotales, nunc demum Calicem ipsum occultabant: nec his contenti, frequenter etiam eum paratum jam ad Sacrificium, pedemque e vestiario

efferentem, sacrum deponere ornatum jubebant: neque tamen Philippus rebus his provocabatur ad iracundiam. Vincentius interim Tecosius, sola dæmonis opera usque eo eidem, a quo ne in re quidem minima læsus fuerat, adversabatur, ut induxerit animum numquam ab eo perturbando desistere, quin illum domicilium mutare impulerit. [constantiam tenet:] Tentationi haudquaquam cessit Philippus, de adversariis suis conquestus numquam: ab ecclesia S. Hieronymi, & quod is locus ad proximorum salutem procurandam aptus esset, & ne cruces sibi a Deo paratas fugeret, recedere noluit: quæ in illum jaciebantur: convitia, æquo animo ferebat, illud Jacobi secum forte animo volvens; Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. [Iac. 2, 12.]

[30] Quodam die, cum de more, post consuetas æmulorum derisiones, Sacrum faceret, [qua unum ex adversariis flectit,] id anxius intra se in ipso Sacrificio cum Deo colloquium habuit: Quid est bone Jesu, quod cum te toties rogarim pro viribus, ut patientiæ donum mihi impertires, tot tantæque sese mihi indies offerant exardescendi occasiones? Hæc cum dixisset, vocem quamdam internam clare audivit: Quid est, quod me rogas, Philippe, patientiam? ea ego te muniam, quamquam volo ut tute his oppugnationibus, quantum maxime potes, eam tibi acquirere studeas. Quibus ille auditis, mirifice recreari se sensit. Exacto biennio, cum e custodibus sacrarii unus, instituto suo, maledictis convitiisque in illum inveheretur, nec ab hac stultitia cessaret; ea vultus hilaritate animique fortitudine hominis verba excipiebat, ut maxima exultaret lætitia. In id spectaculum ex iis apostatis alter cum incidisset, reputans ille mox apud animum suum invictam Philippi in injuriis perferendis patientiam, corde compunctos, eo derepente impetu in maledicum Sacerdotem insiliit, quo beati Patris innocentiam tueretur, ut parum abfuerit quin

illum necarit. Vix hoc fecerat, cum cœnobii unde aberat recordatione cœpit mollescere; atque ad se rediens, B. Philippi opera precibusque in tantum sui odium repente exarsit, ut non solum amplecti pœnitentiam, sed institutum etiam sui cœnobii repetere decreverit, quod & fecit. Vincentius quoque, [alterum etiam in socium recipit.] injuriarum auctor, Philippi patientia mansuetudineque commotus, ultro ad eum venit, & procumbens in genua delicti veniam petit: quam ille, injuriarum mox omnium oblitus, prompto & alacri animo concessit; quin hominem amicissime complexus inter filios suos recepit. Atque ex eo tempore ea Vincentius præ ceteris beatum Patrem observantia coluit, ut non abiret dies, quin eum inviseret, perinde ac nihil ei illo esset nec carius nec jucundius: quem postea morem ad supremum diem servavit, Sacramentorum usu cælestes opes sibi comparare studens. Incidit hujus mors in mensem Martium anni millesimi quingentesimi octogesimi noni.

## A. Æt. 39 Chr. 1554

[31] Dei itaque benignitate molestiis expeditus, Christi sponsi caritate quam maxime vulneratus, totum sese ad proximorum salutem convertit; [Frequentem Sacramentorum usum instaurat:] eorum Confessiones audiens, eosdemque cælesti Pane reficiens. Quibus deinde rebus id paulatim factum est, ut frequens cum Confessionis cum Eucharistię usus, extinctus pene dæmonis fraude, iterum renovaretur. Tanta in eo humanitas fuit, ut propterea omnibus charissimus esset. Adeo ardenter sitiebat diabolo prædas eripere, ut mirum dictu sit quanta fecerit tuleritque, ut vel unam animam ad Christum reduceret. Omnium confluentium Confessiones alacri vultu excipiebat, eosque partim sermonibus de rebus spiritualibus partim precibus ad pietatem atque cælestium amorem excitabat mirifice. Diligentiam quantam maximam potuit perpetuo adhibuit, ut omnibus

omnia fieret, quo vel ex hoc uno facilior sibi aditus ad proximos juvandos daretur. Ejusmodi præcepta de animarum salute suis in Christo filiis tradebat, ut non solum qui ea tenuerint magnam ad virtutem progressionem fecerint, verum in omni etiam virtutis genere perfecti evaserint. Cubiculum omnibus perpetuo dies noctesque, ob magnum quo tenebatur proximorum salutis desiderium, patere voluit. De audiendis Confessionibus ita solicitus erat, ut de nocte, primis illis temporibus, antequam dilucesceret, quadraginta circiter virorum Confessiones frequenter audierit.

[32] Erat hoc magnæ in Philippo caritatis argumentum, quod qui multa nocte, [post quæ dimittebat suos ad xenodochia curanda,] ut Confessionis beneficio Deo conciliarentur, ad eum veniebant, ostium semper reperiebant apertum. Neque horum labor inanis erat, quandoquidem peccatis primum Confessione patefactis, Philippi deinde suasu oratum ibant: in oratione tamdiu erant, quamdiu Sacri faciendi tempus adventaret: in Missa communicabant omnes: tum beato Patre annuente, ad diversa Urbis xenodochia, quorum præcipua erant sanctissimi Salvatoris, sancti Spiritus, & Deiparæ Virginis de Consolatione vulgo dictæ, sub silentio ibant; atque his in locis, piis præsertim sermonibus, ut cetera sileantur, ægros mirum in modum consolabantur, & ad patientiam peccatorumque confessionem & divinæ misericordiæ spem excitabant. Deferebant præterea secum cibaria, quibus eorum corpora recrearent; quæ res cum eo tempore neglecta esset, difficile æstimatu est, quantum ægris eorumque custodibus ad animorum salutem prodesset. Quodam die, anno Domini circiter millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, cum in id omni cogitatione curaque incumberent, contigit ut inter eundum, Philippo patre eos comitante (quod principio facere consueverat) cum prope Vespasiani Amphitheatrum consisterent, inciderent in hominem

provolutum in luto, ita graviter affecto ægrum corpore animoque dejectum, ut se erigere nec vellet nec posset; sed ibidem manere, vel etiam mori statuisset. Hunc ubi vidit Philippus, Francisco (id uni ex illis nomen) jubet illico, ut eum in humeros sublatum ad xenodochium sanctissimi Salvatoris, quo tendebatur, exportaret. Mox ille nulla interposita mora, quamquam longe a xenodochio aberat, subjicit humeros oneri; & ad locum destinatum solus, magno cum sodalium fructu & ægroti solatio, defert.

[33] Unus ex iis qui Philippum sequebantur, nomine Prosper, Judæum hominem quodam die secum duxit: qui una cum beato Patre, quem multi comitabantur, Basilicam Lateranensem ingressus, Patre aliisque in genua ante aram maximam provolutis, [quorumdam conversionem prædicit.] solus ex tota illa multitudine stabat operto capite, cervice eversa. Quod cum adverteret Philippus, accersito ei dixit, Frater, his quæso verbis Dominum precare: Si tu, Christe, verus es Deus, animum meum inducas velim, ut avita religione rejecta Christianorum fidem suscipiam. Cui Hebræus, Deum, ut dicis, orare nec possum nec debeo: tibi enim si morem gererem, de religione deque fide mea dubitare viderer, quod Hebræum hominem non decet. Tum Philippus ad astantes conversus; Rogate, inquit, Deum pro salute Judæi istius fratris nostri; cito enim, mihi credite, Christo nomen dabit. Prædictionem comprobavit eventus: Judæus enim paucis lapsis diebus, non fidem modo Christianam, sed sacrum etiam Baptisma gratulabundus suscepit. Confitebatur sub hæc tempora creberrime Philippo pia femina, Fulcinia Aneria. Id ubi vir ejus Mauritius rescivit, ei confestim injunxit, ne auderet amplius Sacramenta frequentare (ridebat enim is, cum ea quæ Christi erant ignoraret eo tempore, spiritales servorum Dei profectus) dicebatque, sermonem vulgi secutus, ad deteriora plerumque prompti, Sacramentorum frequentia prorsus abstinendum esse.

Sed fortis amor Dei feminam virtute muniens impulit, ut cœptam vitam prosequeretur. Cui Philippus, Ne dubites, dicebat: perge ut cœpisti; Mauritius ad bonam frugem brevi sese recipiet. Quod & factum. Est autem Philippo ille, quoad vixit, ad Confessiones perpetuo usus.

[34] [Ægro, ne heres ab illo scribatur,] Ægrotabat eodem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto Prosper Cribellius, morboque indies invalescente ita graviter æger apparuit, ut omnes jam medici diffiderent: erant hi Alexander Petronius, Joannes Monachus cognomento, & Franciscus Lucensis, medicæ artis peritissimi. Ergo sacro jam munitus Viatico Oleoque inunctus, pro mortuo habebatur ab omnibus; jamque Sacerdos moribundum de more Deo Sanctisque omnibus commendat, & lustrali subinde aqua respergit. Quod dum fieret, venit ad eum Philippus: Cui mox ille: Quid causæ est, inquit, quod te ad duos dies non viderim? Medici mortem mihi certissimam pronuntiarunt, modo quæ consuevit febris accessio venerit, quæ accessit. Tum ille: Audivi te bonorum tuorum heredem me testamento reliquisse, quo nihil gravius venire poterat ad aures meas: hereditati isti cedo, eam tu alteri da. Verum quo clarius videas (subjecit illico) nihil me ex facultatibus tuis cupere, extemplo ad Vaticanam Basilicam me conferam, precatum videlicet divinam clementiam, [sanitatem reddit;] ut te præsenti mortis periculo eximat: quod si id obtinere nequivero, Deo meam vitam, pro tua vita tuaque corporis salute, offeram libentissime: qua ex re fore spero, ut facile quod petam impetrem. Hisque dictis, rem narratu mirabilem! cum inter precandum manus illacrymans morienti imponeret, somnus illico jucundissimus ægrum arripuit. Qua ex re, sumpta Philippus occasione, [eamdem prædicit desperato a medicis.] Basilicam Vaticanam petiit, ibique per semihoræ curriculum in oratione prostratus, quanta maxima potuit animi submissione in vota effunditur,

Divinamque majestatem pro vita morientis efficacibus precibus fatigat. Nec irritus: eo enim ipso momento, quo ille manus supplicesque voces ad cælum tendebat, e somno moribundus evigilans, cum semiquadrantem horæ circiter quievisset, salutem sibi redditam, medicis admirantibus, sensit.

[35] Eodem ferme anno Dominicus Saracenus, cum Romæ ad artem medicam se contulisset, cardialgia laborare cœpit gravissime; medicorumque remediis omnibus longo jam tempore frustra tentatis, Philippi orationibus, in quo uno spes omnis sita erat, commendat sese. Cui ille: Bono animo, inquit, esto: e præsenti ægritudine evades. Quibus ille verbis cum certam haberet fidem, brevi, nullo in posterum medicamento ad morbum adhibito, pristinam valetudinem se recuperasse persensit. Vivit is adhuc, beneficiique memor, rem, ut gesta est, pro miraculo habet. Sed abeamus ab his, & transeamus ad res a Philippo gestas Paulo Quarto Pontifice: Marcellum enim hoc nomine Secundum, Julii successorem, cujus Pontificatus tertiam hebdomadam non excessit, præterimus. Porro Paulus Pontifex creatur X Kal. Junias anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto: seditque annos quatuor, menses duos, dies septem & viginti.

## CAPUT IV.
## Gesta annorum 1555, 1556 & 1557.

### A. Æt. 41.

[35] Anno Domini circiter millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, cum iter Philippo esset, quem multi sequebantur, eum in locum, [Dæmonem supra Thermas conspectum fugat,] ubi extant Thermæ, quas Diocletianas appellamus; vidit, in quodam pariete vetustate collapso, stantem dæmonem hominis specie:

quem cum attentius inspiceret, observabat eum, nunc juvenem, nunc senem apparere. Quibus rebus dæmonis insidias agnoscens, Christi nomine imperat, ut, qui sit, aperiat. His ille victus celeri fuga sese proripuit, odoreque teterrimo quo abiens locum illum complevit, quem ne bestiæ quidem ferre possent, ecquis tandem esset, Philippo ceterisque qui aderant spectatoribus, patefecit. Illud hic silentio non involvam, [item orationi suæ se ingerentem.] quod avidus dæmon ejus animi quietis perturbandæ, de nocte, quo tempore orationi attentius vacabat, ei se videndum offerebat: totis enim viribus contendebat ille, ut ejus impetus, quibus ferebatur in Deum, si non reprimeret, certe retardaret. Nocte quadam (incertum mihi est quo tempore id contigerit) supplices ad Deum preces more suo offerenti, adest dæmon, ut terrorem incutiat. Id ubi beatus vir advertit, fusa illico ad sanctissimam Dei Matrem oratione, & eum timorem parvo negotio discussit, & inimici artes pia audacia vicit: nec præterea minus, imo tanto magis orare perrexit. Dæmon enim, ubi faciem ostentes, timidus; ubi terga verteris, audax. Sed hæc percursa.

[36] [Sub specie confessionis vocatus ad meretricem,] Eodem anno, cum videret humani generis hostis, animarum fructum unius Philippi opera singulis quibusque diebus uberiorem fieri; solita motu invidia, decrevit eum ab hujusmodi studio illecebra carnis avocare: id autem per impudicam feminam hac aggreditur arte. Erat in Urbe meretrix, ejus laqueis irretita, Cæsaria, cui nihil erat boni præter pulchritudinem. Hæc, dæmone instigante, magnifice se jactare cœpit apud adolescentulum satis ampla familia, quocum turpiter vivebat, de Philippi animo emolliendo, atque ad libidinem alliciendo: cui ille multam pollicetur pecuniam, si id tentaret. Accipit impudica femina conditionem: sed timens (quippe quæ nimium in aliena pernicie prudens erat) ne propter egregiam viri sanctitatem, si ipsum aperte aggrederetur, nihil posset

perficere, unam reliquam esse viam fraudis & doli excogitavit. Quid igitur consilii cepit mulier, dæmonis artibus instructa? Illum per ipsius, quod ad amabat plurimum, speciem honesti aggreditur. Mittit ad eum quemdam, qui illi deferret, se in extremo & animi & corporis periculo esse; ad bonam frugem velle redire, & anteactæ vitæ noxas Confessione expiare: rogat per eum, ne velit opem periclitanti animæ denegare. Ille, ut incredibili ardebat salutis omnium caritate, [ab eaque felicitatus, fuga se proripit,] lætatus vehementer oblatam sibi occasionem esse, dispersam Christi ovem ad suum ovile congregandi; domo egressus, eam convenit, nihil hujusmodi suspicatus. Tum diabolicum illud instrumentum femina (Philippus vix scalas ascenderat) omnis non modo pudicitiæ, sed pudoris oblita, nudam sese illi obtulit videndam, solo velamine ad carnem coopertam, ut si illi belle res cecidisset, utique rem conficeret. Sed vicit, Deo favente volenteque, simplicitas calliditatem, libidinem continentia. Sanctus vir, ubi suæ insidias fieri vidit castitati, ubi se unum impugnari; sibi quod reliquum erat præsidium fuga confestim quæsivit. Sic non minus impudicæ, quam impiæ ac turpissimæ feminæ profligata petulantia, & daemonis est astus illusus, ejusque demum vires comminutæ: id re ipsa confirmans, quod verbis affirmare solitus erat, cetera tentationum genera pugnando reprimi, hanc unam fugiendo potius vinci quam resistendo. Interim impudentissima femina, ubi delusam se vidit, nimio pudore perfusa iracundiaque exæstuans; scabellum, quod sibi primum ad manus venit, ejus interimendi studio post tergum conjecit. Sed servante Deo militem suum, nihil ea re læsus, [& exinde a stimulis carnis liber manet,] firmo corpore virtuteque integra inde exiit, quod sane non sine miraculo fieri potuit. Quo apud Deum præclaro facinore illud impetrasse compertum est, ut plus triginta ante obitum annos, omnibus in posterum careret stimulis cupiditatum, sensuque libidinis.

[37] Magna sunt hæc profecto; magna, quis neget? sed adjiciemus alia non minora. Eo ipso quoque tempore insigniore alio dono eum exornavit Dominus, scilicet, [per donum eximiæ castitatis,] ut ne inter dormiendum quidem ejus corpus ulla impuritate pollueretur, qua interdum vel inviti inquinamur; idque eo mirabilius quo supinus ille, facie semper ad cælum versa, somnum caperet. His itaque cumulatus beneficiis cum tranquillitatis statum obtinuit, ut jam non inter mortales mortalem vitam, sed cælestem inter cælestes ducere, & proxime ad pristinum illum innocentiæ integritatisque statum (si ita dicere fas est) accedere videretur. Refriguerat in ejus corpore omnis ardor libidinum: caro spiritui obtemperabat: nullos corroborata virtus impurarum voluptatum impetus extimescebat: ita in illo tactus sensus obstupuerat, ut ejus caro lapidis instar omnis pene sensus expers esse videretur. Dicere quandoque solitus erat (quamquam id paucis e suis aperiebat) unum & idem sibi esse, mulierem atque lapidem contrectare; adeo repressus in illo erat omnis impetus, restinctaque omnis cupiditas illecebrarum blandæ voluptatis. Harum rerum sane admirabilium firmissima gravissimaque extant testimonia. [multorum testimoniis declaratum;] Affirmat id præter ceteros omni asseveratione, qui erat ei a Confessionibus, Cæsar Baronius Cardinalis, qui ultimas ejus Confessiones in extremo vitæ tempore audivit. Is juratus narravit, Philippum paucis diebus antequam ex hac vita migraret, eam inter confitendum lacrymarum vim cum singultu profudisse, ut fletum cohibere non posset; ut qui summo se affici dolore diceret, quod cum multa a Deo dona nullis suis promeritis accepisset, tum hæc praecipue, ut se virginem ad illum usque diem servasset, trigintaque plus annos omnibus carnis stimulis ita caruisset, ut nullam ejus tyrannidem ne in quiete quidem sentiret; ita tamen erga divinam liberalitatem ingratus extiterit, ut nihil unquam beata vita dignum egerit, vocationi divinæ haudquaquam responderit. O perfectæ integritatis exemplum! O miram

beati viri humilitatem! Et hæc erant, de quibus ille multis cum lacrymis, ob summam animi demissionem, confiteri consueverat.

[38] Ex his itaque rebus, tamquam ex uberrimo fonte ardor ille fluxit, quo alumnos suos verbis plane divinis ad castitatis amorem incitare non desistebat. Vult enim cælestis ille Sponsus (idque ipse noverat) quorum sibi animos perpetuum ad habitandum delegerit habitaculum, [quo etiam aliis puritatis amorem afflabat,] eosdem etiam esse ab omni impura corporis contagione sejunctos. Hinc quos carnis tentatione premi sentiebat, eos consilio, precibus, cohortatione, omni denique ope sanare; eos vero, qui ejus essent immunes, conservare integros conabatur; suæ non magis custos castitatis, quam defensor alienæ. Illud etiam hic attexam, adeo elucere solitum in Philippo virginalis castimoniæ candorem, ut nemo eum diutius frequentarit, quin de casta vita amplectenda cogitare cœperit. [semper virgo habitus,] Communi omnium æstimatione constantique fama virgo est habitus. Atque hujus quidem virtutis tanta erat in animo pulchritudo, ut in ipsum etiam corpus, in vultum, inque oculos mentis indices redundaret; ut non modo in ipso sermone & in omnibus ejus actionibus, sed in ipsa quoque facie virginalis quidam candor eniteret. Sed quid dicam de hominis honestate munditieque? Nulli hominum unquam, sanus esset ille vel æger, castissima membra nudamque carnem patere permisit: cujus rei oculatus testis, præter ceteros, ego ipse sum, qui apud eum dies noctesque assidue eram. Nihil in eo deprehensum fuit ab aliquo, quod cujusquam oculos animumve offenderit: de scurrilibus obscœnisque verbis ne cogitavit quidem: ita denique in omni vita se gessit, ut ab ipso ineuntis ætatis flore, cunctis propositum castitatis Christianæque modestiæ exemplar videretur ad imitandum.

[39] Illud in Philippo fuit ex multis admirabile, quod ut virginitatem ceterasque virtutes ex odore; [& castos ab impuris olfactu discernens.] ita impudicitiam & id genus alia ex fœtore divinitus deprehendebat. Id porro præter ceteros sacramento testati sunt, Philippo vita functo, complures illorum, qui eo ad Confessiones utebantur. Quippe quibus hujusmodi infectis peste, sed eam non aperientibus, ultro ipsemet ante opportuna remedia & genus morbi & causas detegeret: Filii, libera voce dicens, vos male mihi oletis, lapsi estis in id genus libidinis; conscientiæ noxas detegite, peccatorum venenum Confessione ejicite, admissa scelera confiteamini. Quibus illi auditis, rei novitate attoniti, exponebant omnes sacramento Confessionis, quid quisque dolendum egisset in vita; & pœnitentiam amplectebantur, animum ad amorem cælestium convertentes. Quæ autem fuerit ejus animi puritas quaeve cordis mundities, id vel ex hoc uno de multis conjici potest, quod excipiens Confessiones hominum istiusmodi sordibus involutorum, ita teterrimo illo atque pestilenti odore, qui ex obscœnis illorum voluptatibus permanabat, afficiebatur, ut manus aut linteum ad nares admovere, seseque in aliam quandoque partem obvertere cogeretur: quod admirabili tamen dexteritate, ne quis id adverteret, faciebat. Narrabat ille, tam gravem se ex hoc nefario scelere odorem percipere, ut cum nullo sibi videretur fœtorum genere posse conferri. Huc illud etiam summa admiratione dignum accedit, quamquam alio contigit tempore. Mulier quædam eum frequentare cœpit: hanc beatus Pater intuitus, diabolum in ea residere mentis oculis vidit, quamobrem manu ad eum expellendum feminæ divino instinctu admota, id eo attactu factum est, ut mox tam pestilenti atque sulphureo femina halaverit odore, ut ejus ille gravitatem ferre non posset. Hic ipse odor postea ita in ejus nares importunissimus penetravit, ejusque manibus infixus hæsit, ut vix post triduum, quamquam maximam adhibuerat diligentiam ejus se molestia liberandi,

restitutus in pristina videretur. Affirmabat ille post, eum fœtorem ex ipso dæmone profluxisse.

[40] Eodem anno quinquagesimo quinto, cum septem Urbis Ecclesias obiret pedibus, [Crucem fugienti perpetuam inquietem prædicit.] ex labore itineris in ardentem febrim incidit; quæ etsi hominem multos tenuit dies, vitam tamen non hausit. Maximianus Burghius, rogatus a viro quodam primario ut secum vivere vellet, accepit ille, invitus licet, conditionem, ea lege, ut cum solius Dei cupidus esset, negotiis secularibus non implicaretur. Sed cum vir ille, fidem ei datam fallens, hominis opera ad res suas uti tentaret, & Maximianus in voluntate sua maneret; qui in eadem domo erant, Maximiano propter dominum molestissimi esse cœperunt. Ille vero, ut magnæ vir prudentiæ, subodoratus id quod erat, illinc ubi primum posset, se subducere decernit. Hoc ubi Philippus audit, abscessum dissuadet: propheticoque spiritu minitatur, si id fugiendae crucis studio attentet, quieto numquam animo vitam traducturum. Et certe constitit dicto fides. Ille siquidem, datum sibi consilium repudians, semper maris instar fluctibus vel cogitationum vel deliberationum (etsi Dei beneficio laudabiliter vivebat) agitari se sensit.

## A. Æt. 41.

[41] Cum Philippi virtus nomenquie magis magisque indies elucesceret, animorum fructus ejusdem opera mirifice cœptus est augeri. [Lucratur Deo.] Conveniebant quotidie in nostrum Oratorium quamplurimi, quorum ille pectora divini verbi explicatione ita ad pietatem inflammabat, ut laudabiliorem vitæ rationem instituerint, Christoque, abjectis curis inanibus, nomina dederint. Quotidianis colloquiis hoc unum vel maxime agebat, ut confluentium pectora ad orationem, ad Sacramentorum frequentiam, aliave pietatis opera accederet. Magnos in

pietate progressus, [I. B. Salviatum,] Philippi industria studioque habuit Joannes Baptista Salviatus, e prima nobilitate vir. Erat hic Catherinæ Mediceæ, Franciæ Reginæ, consobrinus, atque Antonii Mariæ Cardinalis germanus: qui mira cum significatione pietatis e vita decessit, adjunxitque se Philippo anno Pauli IV primo. Franciscus Maria Taurusius, vir genere nobilis, Philippo ad Confessiones uti cœperat: [F. M. Taurusium,] idque ubi primum aggressus est, flammam illico divini amoris suo insidere pectori sensit; quæ usque eo hominem stimulavit, quoad assiduis Philippi lacrymis precibusque ejus animus mollitus, totum se illi, ut generosus erat ac nobilis, anno hujus seculi quinquagesimo sexto, regendum gubernandumque tradidit. Neque illud hic silentio prætereundum, quod volens Philippus in hoc de quo loquimur viro formare Christum, illum in suum ducere cubiculum consueverat: ubi eo præsente precibus dans sese, eam spiritus dulcedinem in ejus animum instillare cœpit, ut in terra cum is esset, quemdam tamen cœli rerumque cælestium gustum sibi percipere, totusque dulcedine liquefieri videretur.

[42] Constantius Tassonius, genere clarus, sed seculi voluptatibus implicitus; cum monita beati Patris, tota ferme obstupescente Civitate, amplectitur, eos, Philippo præceptore usus, in virtute progressus effecit, ut saepius per hebdomadam Sacramenta frequentaret, [Constantiam Tassonium,] studia mortificationis quæ vocant libentissimo animo amplecteretur, valetudinaria adiret, Philippi demum jussu Sacerdos factus quotidie Sacrum faceret: quam vitæ rationem ad ultimum diem cum integram inviolatamque servasset, mortem obiit piam & sanctam, videlicet vitæ consentaneam. Praeter hos alii e prima nobilitate non pauci Philippum sequebantur; quorum nomina, ne plus nimio crescat præsens oratio, de industria missa facimus. Consueverat Philippus profestis diebus, [iisque & aliis ad nosocomia

præit:] quos Christo genuerat, in tres quatuorve distributos classes, ad Urbis valetudinaria mittere. Initio vero, quo eo magis ad id muneris suo inflammaret exemplo, cœpit ipsemet a prandio ægrotos in nosocomiis adire, eosque alloquio, obsequio, omni officio prosequi: qua re exciti qui eum sequebantur, ea ipsa faciendi ardebant desiderio. Quæ autem fuerit horum pietas in ægros ibidem decumbentes, ex unius facto discetur. Joannes Baptista Salviatus, cum in id totus esset, in xenodochio quod Consolationis nomine vulgus appellat, recta ad ægrum, ut ejus sternat lectulum, tendit; quem, a cubili surgat, demisse rogat. Hic ille, contemni se ratus; Ne quæso, Domine, ait, mihi illudas pauperi: noverat enim iste Joannis Baptistæ licentiam libertatemque vivendi, sed ignorabat mirificam ejus animi mutationem, qua a terrenarum rerum affectu ad cælestium amorem toto pectore sese converterat. Quid multa? Permotus æger tanti viri auctoritate, sed multo magis humilitate, ut qui instaret urgeretque vehementius, totus in admiratione defixus e strato exiliit. Porro Joannes Baptista id vivendi genus ea mentis firmitate constantiaque ad obitum usque retinuit, ut nunquam, ex quo tempore primum manum suam ad aratrum posuit, retro respexerit. Ceterum in hoc capite de concursu, illud silentio prætereundum non est, ea Philippum prudentia dexteritateque eos qui suæ ea tradebant disciplinæ rexisse, ut in omnibus rebus, quamquam arduis ac difficillimis, obedire gauderent qui jubebantur. Nemo ad eum accessit unquam, consilium aliquod ad animæ salutem petiturus, quin lætus ab eo recederet: frigidosque in Dei amore filios assiduis precibus calefaciebat, nutantes confirmabat.

[43] Eodem Christi anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, mense Augusto, ægrotabat Guilielmus Bucca: [futura prænoscit:] quod ubi Philippus rescivit, Is, dixit, e præsenti morbo haudquaquam convalescet. Nec verba in ventum jacta. Æger eo ipso

oppressus morbo, eodem anno supremum diem, Sacramentis Ecclesiæ præmunitus, explevit. Eodem, ut opinor, tempore crediderat Franciscus Fortinus, quem Philippus Christo genuerat, Alexio Bettino (multum pecuniæ, ut fama erat, possidenti) nummos aureos tercentum, idque inscio Philippo inconsultoque. Hoc ut ad ejus aures pervenit, etsi ignarus trapezitæ, alumno confestim jubet, ut eam pecuniam nulla interposita mora repetitum pergat. Paret ille monenti, & quamquam puderet eum vesperi repetere, quod mane argentarii fidei commiserat; tamen obedientiæ meritum aspiciens, parere Philippo maluit, quam sibi ipsi indulgere. Resumptaque ab Alexio pecunia, lapsis paucis post diebus passim apud omnes pervulgari cœptum est, argentarium, cum nil minus de eo cogitaretur, decoxisse; quandoquidem, infortunio forte aliquo, non nequitia, ut credi potest, absumpto patrimonio simulque privatorum pecuniis, creditoribus fidem fefellerat.

[44] Eodem, ut opinor, anno Joannes Baptista Modius Calaber, qui inter alios Philippi filios præcipuus erat, bis uno ferme tempore a media morte ejus opera revocatus fuit. Erat is professione medicus, vir doctus æque ac pius; [Discipulum ægrum servat a morte semel,] cujus liber de Aqua Tiberina inscriptus (ut missas faciam, quas in B. Jacobi Tudertis Cantica elaboravit notationes) non sine auctoris laude circumfertur. Invaserat eum primum gravissimus morbus; ea mali vis erat, ut Petrus Antonius Contugius & Hippolytus Salvianus, medici ea tempestate primarii, de ejus salute penitus desperarent. Die quodam morbo increscente, Modium ad paucas horas vitam producturum pronuntiant: ex pulsu enim arteriarum aliisque signis morti proximum esse compererant. Cum ergo ille sensibus prope omnibus destitutus haud procul abesset interitu, adfuit Philippus; qui ut hominem, ex cujus privatis colloquiis multus colligebatur animorum fructus, a mortis faucibus eriperet, solus se in quodam

cubiculo abdidit. Ibi pro ægri salute eo animi ardore divinam cœpit implorare clementiam, ut plus quinque cubitis in altum toto corpore attolleretur, ejus facie mirum in modum radiante. Cum sic autem unam & dimidiam circiter horam sublime elatus precibus institisset, ingressa mulier cui Margaritæ nomen, quæ Modio cibaria præparabat, in cubiculum orantis, eum divina vi sublatum a terra lumine splendere, faciemque solis instar radios emittere deprehendit. Quo visu illa primum territa, Miraculum, exclamat, Miraculum. Exciti hoc clamore qui morienti assidebant, confestim accurrunt: summis in tenebris splendere omnia, Patremque in altum elatum cernunt. Interim ille in se revertens, gratulabundus ad Modium tendit, adstantibus tantæ rei miraculo stupentibus; manibusque ejus capiti admotis, hominem nominatim inclamat; Bono animo esto, haudquaquam ex isto morbo morieris. Quibus dictis redire ægro mox cœpit vox cum sensu; beato Patri respondit, quocum longum sermonem habuit; ac paucis post diebus a morbo plane convaluit. Hanc porro rem adeo miram, ut erat gesta, sacramento mihi aliisque narravit post Philippi obitum, Bernardinus Corona civis Romanus, affecta ætate vir pietatique deditus, atque unus ex antiquioribus ejusdem alumnis; eo enim vivente id ipse uni tantum vel alteri secreto aperuerat; omnibus enim palam indicare numquam ausus fuerat, ne Philippi modestiam offenderet, quam quidem offendisset gravissime.

[45] Nec una hac in re Philippi is expertus est opem. Non multo post cum vesicæ calculo laborans, urinæ reddendæ difficultate vexaretur; [iterumque.] gravitas morbi fecit, ut desperatis jam medentium auxiliis de salute periclitaretur. Ergo invisit eum Philippus, eoque ut par erat ad patientiam cohortato, in templum ad preces pro illo fundendas perrexit. Ibi in fervore spiritus oranti, continuo salutis filii desiderio, lacrymæ in ejus facie esse cœperunt; quæ simul atque ex oculis fluere visæ sunt, eo

ipso momento urinæ simul & calculo iter patuit: qua ex re ita se æger allevatum sensit, ut ex incommoda illa valetudine penitus emerserit. Hujus deinde opera beatus Pater in enarrandis priscorum Sanctorum rebus gestis, magno cum fructu & solatio audientium, usus est: erat enim melliflua quadam facundia præditus, qui cum verba ad multitudinem faceret, utile dulci miscens, adstantium pectora mira quadam suavitate replebat. Denique cum magna in pauperes flagraret caritate, misericordiæ Christianæque pietatis operibus maxime deditus, aliquot post annis in Dei famulatu absumptis, obiit ita religiose pieque, ut vitæ responderit eodem tenore transactæ.

[48] [De Indiis petendis deliberans,] Eodem hujus seculi anno quingentesimo septimo, cum vesperi post fusas Deo preces Epistolæ de rebus Indicis in ejus cubiculo legerentur, tanta cupiditate ardere cœpit infideles ad legem Euangelicam reducendi, ut statuerit ad Dei gloriam, difficultatibus omnibus periculisque spretis, quæ plurima maximaque sese ei offerebant, una cum Francisco Maria Taurusio, Joanne Baptista Modio, & Antonio Fuccio, aliisque e suis alumnis ad viginti, in Indias proficisci. Verum, ut in hujusmodi deliberationibus fieri solet, cogitavit primum ut rem Deo assiduis precibus commendaret (nihil enim ille aggrediebatur unquam, magni vel parvi momenti id esset, nisi consulto prius ac propitiato Domino) deinde, quo de divina voluntate certior fieret, ut pios viros consuleret: postremo, ut qui inter eos Sacerdotii capaces essent, Sacerdotio initiarentur; tum ut, petita a Pontifice Maximo benedictione atque licentia, longinquo ac periculoso itineri sese committerent. Is profecto omnium ardor erat, ut terrores, vitæ pericula, dæmonum tentamenta, aerumnas pro nihilo ducerent, gravia quæque nimirum ob Christi fidem disseminandam patiendi cupidissimi. [& August. Ghettinum consulens,] Ergo Philippo eam in rem intento hanc mentem injecit Deus, ut religiosum

quemdam, e S. Bernardi familia sanctitate conspicuum, adiret; ejus voluntatem, illo interprete ac deprecatore, auditurus: quod fecit. Prœerat is eo anno Monachis Cisterciensibus apud Cœnobium SS. Vincentii & Anastasii Martyrum ad Aquas-Salvias. Parentes habuit, ut Francisco Maria referente didici, ea sanctimoniæ laude exornatos, ut præter ceteras consuetudines Christiano homine dignissimas, hanc perpetuo tenuerint, ut biduo antequam procreandis liberis juxta matrimonii sanctissimas leges operam darent, peccata Confessione exponerent sacraque sese Eucharistia reficerent: quibus peractis, Deum rogabant enixe, ut talem ipsis filium daret, qui dignus esset in numerum servorum ejus adscribi. Migrarunt hi e vita ea sanctitatis fama, ut illos existimarint omnes, ad eum locum, qui recte morientibus patet, sibi aditum aperuisse. Horum filii filiæque ejusmodi in rebus piis progressus habuere, ut sanctissime & vixerint & obierint. Nunc ad Philippum: [jubetur eas Romæ invenire.] cujus cum animum Augustinus Ghettinus (id erat Monacho nomen) cognovisset, inducias petit: Oratione enim rem a Deo, respondit, quæri oportet. Supplicatione completa Philippo narrat, Romam, non ad Indias evocari, Indiasque ejus Romam esse; apparuisseque sibi S. Joannem Euangelistam qui diceret, Deum ita velle, ut Romæ ad ipsius vineam excolendam maneat, ubi multos eidem filios aggregabit; Romæ quippe & ejus & alumnorum opera ad plurimorum salutem uti decrevisse. Retulit is etiam, vidisse se aquas, vulgo Trium fontium apellamus, in sanguineum colorem mutatas: quare apertissime significari dicebat, novam Urbi procellam impendere; quod etiam ab eodem Apostolo se accepisse narravit, totiusque visionis ordinem Philippo exposuit. Tum his ille auditis, ad omnia se pro Christi arbitrio paratum ostendens, sermoni servi Dei cessit, Romæ manere statuit, ubi quam strenue in animorum salute procuranda elaboraverit, quotve fructus ediderit, nullus est qui non norit.

# ANNOTATA.

Idem de B. Euthymio narrat in ejus Vita prædictus Cyrillus: & id ipsum de aliis etiam viris sanctißimis legimus. Atqui non me latet, non deesse, qui tetrum aliorum peccatorum odorem perceperpit. Percurre si placet Vitam S. Pachomii, a Dionysio Exiguo in Latinum versam, itemque S. Hieronymum in Vita Hilarionis, Athanasium in historia Antonii, & demum res gestas S. Brigittæ apud Surium.

Sanctißimi viri animas servorum Dei, recens vita functorum, cælum frequenter conscendere vident; ut S. Antonius Paulum primum Eremitam: similia leges de SS. Euthymio, Ioanne Silentiario, Saba. Vide alia exempla in Prato spirituali cap. 57, Dialogorum Gregorii lib. 2 cap. 33, 34, 35, & apud Bedam in vita S. Cuthberti.

## CAPUT V.
## Annus Christi 1558, ætatis Philippi 43.

[49] Verum cum major quam pro loco, ubi sermones habebantur, esset frequentia, [Loco idoneo impetrato,] de eo mutando cogitari cœptum est. Impetravit itaque Philippus anno hujus seculi quinquagesimo octavo a Sodalitio Charitatis, ut super fornicem dextri lateris ecclesiæ (locus is erat satis amplus, nullique tunc usui destinatus) populum congregaret sermonesque haberet. Interea cum assiduis ac quotidianis divinarum rerum sermonibus accedentes excoleret; videns majores indies auditorum accessiones ad divina colloquia fieri, visum ei est e suis aliquot huic operi destinare: [pios sermones a suis habendos instituit,] elegit itaque Franciscum Mariam Taurusium & Joannem Baptistam Modium, tum laicos. Hi ubi ad multitudinem verba facere cœperunt, ita auditorum voluntates in Dei amorem accendebant, ut se mox tanti tamque eximii parentis filios esse confluentibus

ostenderent. In horum numerum aggregavit postea Philippus Antonium Fuccium, & Cæsarem Baronium Sotanum, aliosque: qui Parentis exemplum manibus pedibusque imitati, similesque Fratrum suorum, opus Dei miris modis magno cum animorum fructu juvabant. Excogitavit præterea Philippus, quo vehementius ad Dei amorem confluentium pectora inflammaret; [& oratoris aperiri jubet,] inflammataque ab omni incommodo, detrimento, molestiaque, sincera & integra conservaret; ut eodem loco, singulis quibusque diebus, hieme postrema hora diei, æstate tertia & vigesima, ad certum campanæ signum, Oratorium aperiretur, quo non solum nobiles, sed etiam plebeji oratum convenirent. Modus, qui tenebatur, is erat. Post dimidiæ horæ secretam ac mentalem quam vocant orationem, ad horologii normam dimensam, quatuor hebdomadæ diebus, tertia & quinta feria, & sabbato ac Dominico die, Letaniæ recitabantur, quibus & publicæ & privatæ res commendabantur Deo; [pro piis per totam hebdomadem exercitiis.] reliquis diebus qui supererant, secunda, quarta ac sexta feria, lucerna in laterna abscondita, quæ papyraceam in anteriore facie Salvatoris nostri in crucem acti effigiem habebat, quæque sola a Fratribus cernebatur, singuli qui eo convenerant funiculis tanto temporis spatio sese percutiebant, donec recitato prius brevi Dominicæ Passionis compendio (cui id est initium, Recordemini Fratres carissimi) totus Psalmus quinquagesimus, & centesimus vigesimus nonus, atque Antiphona Salve Regina, vel alia quæ tempori congrueret, mœsta ac lugubri voce caneretur. Quæ consuetudo, Christianæ pietatis plena, hodie apud Patres nostros magno cum animorum fructu perseverat.

[50] [Ibidem colloquia pia ordinat,] Interea cum major indies hominum concursus eodem tempore ad eum fieret, & Oratorii opus ferveret; plurimis quotidie ad colloquia convenientibus, hunc ille morem induxit; ut primum vel

ipse legeret, vel aliis legendum traderet librum, qui de rebus spiritualibus ageret: quo facto, eorum quæ lecta erant occasione, unum & alterum, vel plures ex circumstantibus interrogabat variis de rebus, ut de virtutibus amplectendis, de vitiis fugiendis, & id genus aliis. Quibus primum qua decebat modestia respondentibus, tum Philippus reassumens omnia, uno eodemque tempore, non fucato & artificioso sermone, sed puro simplicique eloquio, tanto animi ardore de divinis rebus disserebat, ut auditorum pectora inflammaret, eosque ad pietatem amplexandam mirum in modum provocaret incitaretque; eorum vero, qui jam Christo nomen dederant, voluntates vehementius accenderet. Divinis colloquiis peractis, Philippus, ut pastor bonus ac prudens, oves suas ad alia nova pascua educere consueverat (ad templum B. Mariæ super Minervam ibatur frequentius) ibique divinis Officiis in die, aliquando etiam nocte Matutinis, qui eum sequebantur intererant. Viguit is usus donec Oratorii nostri institutum in ecclesiam primum S. Joannis Florentinorum, & deinde in ædes nostras S. Mariæ a Vallicella translatum fuit. Quibus in locis omnia ex præscripto Philippi Patris ad certam rationis normam dirigebantur, diligenterque perpendebantur. Addam huc præterea, quod Philippus tantopere cupidus erat suos in Christo filios ad studium orationis inflammandi, ut eorum pectora suis precationibus mirum in modum accenderet. Rem exemplo notificabimus. Cum per id tempus Simon, unus de illis, orationi in ejus cubiculo insisteret; tanta repente, Philppo pro eo supplicante, [& orationis gratiam suis impetrat.] lætitiæ cælestis vi perfundi se sensit, ut integram horam, quam in oratione consumpserat, momenti instar judicaret, perpetuoque orare ea dulcedine perfusus elegisset. Non omittimus recensere quod Martius Alterius, Nobilis Romanus (qui Paulo III Pontifice, relicto sæculo, Christo, magno fortique animo, se adjunxerat) dicere solitus erat, ea lætitia, cum in Philippi cubiculo esset, perfundi se, ut

id cubiculum jam non sibi cubiculum, sed Paradisus quidam terrestris esse videretur. Pervenerat is ad eum sanctitatis gradum, ut de rebus divinis ex nimia spiritus affluentia, Moysis instar, loqui vix posset. Ea erat præterea in pauperes pietate, ut stragula, quibus ad lectum in quo cubabat utebatur, ipsis tribueret. Philippus insuper illud præter cetera erat assecutus, ut quos pectori admoveret, in Dei amorem inflammaret mirifice, eorumque animos ad virtutis desiderium impelleret.

[51] [dæmonem a moribundo Sacerdote fugat.] Eo ipso anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, Persianus Rosa Sacerdos, qui Philippo a Confessionibus erat, ægrotabat gravissime; cumque ad ultimum periculi venisset, a diabolo nigerrimi canis specie vexari cœpit acerrime. His in angustiis divinum magna animi demissione implorabat auxilium, illud Psalmi frequenter inclamans: Judica me Deus, & discerne causam meam. [Ps. 42, 1.] Cumque hunc in modum cum communi hoste decertaret, venit improviso Philippus. Quem ubi ille vidit, clamare continuo cœpit; Adjuva me, sancte Philippe: est hic canis colore nigerrimus, qui me lacerare nititur; succurre quæso, succurre quod potes, ne devorer. Quibus verbis motus beatus Pater, humi illico, adstantibus primum ut pro ægro vel semel orationem Dominicam recitent jussis, sese prostravit. Quod cum faceret, ecce tibi ille derepente magna voce dicere cœpit: Canis recedit: fugit canis: en in limine ostii stat. Tum surgens ab oratione Philippus, piacularis aquæ aspersione dæmonem ab eo etiam loco fugavit, magno cum solatio morientis: qui lætus effectus, nullum faciebat agendi gratias Deo, beatoque Patri modum: ea vero molestia horribilique visu, non modo in præsens, sed etiam in posterum liberatus, magna cum animi tranquillitate e vita migravit Kalendis Aprilis.

[52] [quid duobus tironibus futurum prædicit:] Eodem anno post Christum natum millesimo quingentesimo octavo, duo ex ejus filiis spiritualibus, Franciscus & Joannes Baptista Saracenus, Religioni S. Dominici se addicere decreverant. Id ubi Philippus rescivit; Joannes Baptista, dixit, sacro indutus habitu eos in virtute processus efficiet, ut ad ultimum usque in suscepto genere vitæ cum laude persistat: Franciscus, quæ humana fragilitas est, labore victus, dæmone solicitante, exuta Religiosorum veste, Ægyptum repetet. Nec eventus defuit. De hoc ipso Joanne Baptista narravit ille Dominico Saraceno, ejus faciem ab se eximio quodam fulgore coruscantem conspectam fuisse. Is itaque III Kal. Majas Dominicanæ adscriptus familiæ, Petri Martyris nomen induit, atque apud socios auctoritatis habuit plurimum, Generalis locum tenuit Ordinis Vicarius renuntiatus, decessitque sancte pieque.

[53] [Ægro discipulo diutius vivere cupienti,] Habebatur eodem anno inter Philippi filios juvenis quidam Gabriel Tana, ortu Mutinensis: hic inter Aulicos Joannis Cardinalis Politiani magna cum vitæ integritate vivebat, bis per hebdomadam peccata confitens, Eucharistiæque saluberrimo sese cibo reficiens. Cumque sic vitam institueret, incidit in morbum: a quo cum nec medicorum arte, nec medicinæ remediis levari tantisper posset; ultimam vitæ horam, quam sibi instare sensit, more hominum horrere cœpit; mori verebatur, vivere cupiebat; respondebatque his qui eum solabantur; De me quod Deo libitum est fiat, ipse me ad ejus voluntatem conformo, ipse me totum illi committo: tamen, cum caro spiritui adversetur, diuturniorem vitam in terris agere recepta valetudine cupio. Et Philippo, qui de vitæ statu ipsum interrogarat, Lætus sum, dixit, de spe, quam habeo e præsenti morbo convalescendi. Hic ille, diaboli insidias præsentiens, ut qui de ejus morte divina jam revelatione cognoverat; petit ab eo primum, ut suum sibi velle

suumque nolle traderet, deinde adstantes precibus insistant monet. Tum ille precari agressus, eo spiritus ardore oravit, [orando impetrat mortis desiderium:] ut rediens supplicatione completa ad moribundum, ejusmodi in eo invenerit animi mutationem, ut cum Apostolo jam diceret: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. [Phil. 1, 23.] Hæc dum magno sensu proferret, Philippum intuitus, vultu in eam partem converso, Ora, Pater, clamat, ut in Paradisum, quantocius fieri potest, ingredi merear: vitæ odium cepi, vitaque mihi molesta valde est ea causa, ut cum Deo sim. Adstantesque subinde respiciens, Date mihi, ait, sanctissimam Crucifixi imaginem, illamque porrigite, quæ usui fuit Julio collegæ meo animam agenti. Qua accepta totus præ dulcedine perfundebatur lacrymis, hortabaturque præterea ex intervallo sodales, ut Deo ex animo deservirent, cunctis hujus seculi vanitatibus neglectis; in has sæpe prorumpens voces; Vita præsens, credite vobiscum loquenti, mihi fastidio est: mori vellem, ut Deum meum contemplari possem assidue. Hæc effatus, Philippum appellans; Ad hanc diem oravi te, Pater, ut cum Deo ageres saluti me restitueret: nunc rogo te quam studiosissime possum, ut orationibus me tuis ex ergastulo corporis liberes atque solvas.

[54] [jamque ad cælum aspiranti] Interea deficientibus in eo viribus corporis, die sequenti, qui fuit Kalendæ Septembris, & vitæ ejus postremus, in id totus, jam sublimium appetens, incubuit, ut se ad pie Christianeque moriendum præpararet. Erant apud eum assidue ex schola beati Patris quam plurimi, quibuscum & ipse aderat Pater, qui tamdiu apud eum esse voluit, dum in vesperam inclinaret dies. Quo tempore iterum dicere cœpit æger: In cælum proficisci cupio, Pater: hoc unum ex omnibus mihi cordi est. Cui cum responderet Philippus; Si Deo placeret, ut præsentem morbum diutius sustineres, nonne voluntatem ejus cupiditati tuæ præferres? Tum Gabriel, Et quid est hoc verbum? Jam dixi tibi sæpius, ex

corporis vinculis in cælum emigrare ardenter cupio; adeo totus Dei videndi ardeo cupiditate, [tentationes imminentes prædicit.] ut nulla res me gravius afficiat quam hic manere diutius: ergo precare Dominum, ut ante quintam noctis horam ad eum evolem. Tum Philippus, Quod petisti, consequeris: id tamen te monitum velim, dæmonem multas tibi paraturum insidias, variisque tentationibus (quas singillatim enumeravit) animi tui constantiam aggressurum; sed nulla in re, crede mihi, nocere tibi poterit, si memoria vel maxime retinebis, te voluntatem tuam dedisse Deo; caveas ne quidquam formides, Christus in te ipse vincet omnia. In profectione vero (domum enim remigrare, precatum divinam clementiam pro illo, in animo habebat) ægrum Joanni Baptistæ Salviato & Francisco Mariæ Taurusio commendat, jubetque se necessitate ingruente accersiri.

[55] [quas ille mox experiens,] Vix hora abierat, cum Gabrieli, comparanti sed ad quam religiosissime decedendum, eam objicit mentem diabolus, ut cogitare cœperit se justum esse, nulloque pacto sibi de æterna felicitate ambigendum. Cumque qui assidebant, nocturnas agentes excubias, Letanias pro eo recitarent, & ventum esset ad illam precationem, A mala morte libera eum Domine; subrisit ille, caputque agitans aliquantulum, secum ipse dicere cœpit: Is in cujus corde Christus inhabitat, liber est ab malæ mortis periculo. Quibus dictis, etsi initio nonnihil ea tentatione commotus, tamen ubi se collegit, cogitans quod dixerat, illam a se rejicere omni studio contendit; clamans dicensque, Quæ est hæc suggestio diabolica; quæ me invasit? vestris quæso, Fratres, orationibus adjuvate me. Nec hic finis certaminis: ejus enim virtute victus infestissimus hostis, aliud pugnæ genus perdendi ejus gratia excogitavit. [& nec Iesum quidem nominare valens,] Ergo impedire eum omni studio cœpit, ne sanctissimum Jesu nomen pronuntiare posset: rogarat enim ille amicos, ut supremis appropinquanti id

nomen in memoriam redigerent, quod invocare summopere cupiebat. Quamobrem clamare cœpit, dicereque: Eia, Fratres, opem ferte: pronuntiare nequeo, nequeo prorsus; succurrite itaque mœsto, succurrite laboranti. Cumque rogaretur, quid esset quod proferre non posset, anne sanctissimum Jesu nomen? annuit illico, versusque ad Jacobum Marmittam; Quid hoc, inquit, rei est, quod Jesum invocare nequeam? Atqui ex his summa vis dæmonis dignoscebatur; quandoquidem cum id nomen clara voce inclamaret, videbatur nihilominus sibi illud exprimere neutiquam posse. Adstantibus qui monebant, ut quod ore dicere nequiret corde tacitus proferret, in hæc verba respondit; Grave jam mihi videtur, Fratres, sanctissimum Jesu nomen appellare; quinimo eo redactus esse miseriarum mihi videor, ut ejus sonum sustinere ne vix quidem possim.

[56] [Philippi reditu recreatur.] In hac tam acri pugna, in qua circumstantium sermone cohortationeque ejus virtus confirmabatur, laboravit plurimum. Sed cum ea tentatio hominem adhuc urgeret vehementius, ut totus jam præ animi anxietate & corporis defatigatione sudore maderet; visum est amicis nuntium mittere ad Philippum, cujus aspectu æger mirifice recreatus, sæpius tanti viri hortationibus una cum eo sanctissimum Jesu nomen expedita lingua inclamavit. Mi Jesu (ajebat) mi amor, mi sponse. Quibus dictis, mox secum ipse ac cum amicis querebatur de tam gravi certamine, quod integram circiter horam dæmonis arte sustinuerat. Cumque lætus sic esset, cœpit iterum non multo post clamare; Eia, Pater; filio succurre tuo; eadem qua ante teneor difficultate sanctissimum Jesu nomen pronuntiandi. Hæc cum ille dixisset, Philippo pro illo precibus insistente, mox ea liberatus molestia, Jesum libera voce magnoque sensu, Crucifixi imaginem intuitus, identidem appellabat. Interim cum quieto jam animo esset, [rursum de infidelitate pulsatus,] ecce rursus satan, qui quem his de quibus

diximus tentationibus superare nequiverat, infidelitatis assimulatione supplantare atque evertere aggreditur. Ei itaque res nostræ religionis ita repræsentavit, ut videretur sibi de fide dubius esse: objiciebatque præterea animo, ex eo morbo surrecturum omnino. Inter has itaque res variis agitatus curis, novas diaboli fraudes Philippo aperit, rogatque se adjuvet, quo amissam conscientiæ pacem recuperare, dæmonemque vincere possit. Cui ille; Contemne, fili, contemne diabolicas hasce machinationes; dic; Credo, Credo. Quæ verba; quamquam una cum beato Patre repetebat crebrius, tamē cum ipse sibi videretur in his quę ad fidem spectant suspenso animo esse, Affer tu itaque Pater, [juvatur recitato Symbolo:] iterum clamat, afflictissimo opem, ne peream. His verbis commotus Philippus, cujus pectus ardebat caritate, circumstantibus primum deinde ægroto injunxit, ut Symbolum Apostolorum clara voce pronuntiaret; idque si ore præstare non posset, corde saltem una cum aliis recitare conaretur. Tum eo in preces sese dante, extemplo omnis illa diabolica tentatio evanescere cœpit, maximo cum solatio morientis; qui paulisper respirans, satanis illis laqueis absolutus, dæmoni recepto animo his verbis insultat: Te invito credam: velis nolis, credam: Deo meo, repugnante te, quoad vixero, fidelis ero assidue. Quæ cum effaretur, adstantibus Apostolicum Symbolum recitandi finem facientibus, ab ejusmodi molestia, corpore licet fessus (vires enim illi minuerat ea cum diabolo pugna) prorsus quievit.

[57] [postea visibili dæmonum specie terretur,] Diabolus interim, etsi sæpe victus, quæ est ejus invidia in humanum genus, tertio in eum insurgit: pugna autem gravissima ac periculosa, eaque prioribus & immanior & intolerabilior. Ecce quippe tibi, offert se fœda facie & horribili ad aspectum diabolus, ut injiciat morienti terrorem, eumque ad desperationem inducat, perinde

quasi eo ille redactus esset, ut unde salutem sperare posset; non haberet. Erat itaque juvenis inter has curas gravi pressus mœstitia, totusque præ horrore ac timore contremiscebat, severo tristique vultu, terribilibus oculis (faciem enim mutaverat) cuncta mirabundus circumspiciebat, e gestu dæmonem se videre ostendebat, dicebatque secum ipse; Heu, heu! quam infelix es Gabriel! heu quot commisisti flagitia! O me miserum! Pelle, Pater, hos canes e, colore nigerrimos, qui me circumstant. Si me, Pater, amas, hos dæmones fuga, pelle eos. Cujus necessitati occurrens Philippus, confirmat timentem, excitat fidem, commemorat divinam misericordiam, ad eam confugiat hortatur; Christum pro eo passum monet, rogatque ut una cum Sponsa in foramina petræ inque cavernam maceriæ sese recipiat, ubi pax summa est; victoriam pollicetur. Quibus dictis, flexis mox ad fundendas pro eo preces humi genibus, lectulo innixus dæmonem increpavit; Jubeo tibi Christi nomine, ut hinc abeas quam primum. Cujus virtuti cum ea monstrorum turba resistere nequiret, illico aufugit; [sed hunc abigit Philippus:] juvenem relinquens lætitia gestientem, exclamantemque; Eia, Fratres, gaudeamus: effugiunt canes: Philippus eos pepulit: importunos illos vexatores procul abegit. Videte eos, videte (locum digito ostendebat) fugam arripuerunt, fugiuntque velocissime. Verbis dici non potest tantum, quantum re ipsa deformes sunt. Ergo vicimus: diabolicam importunitatem superavimus. Fugistis tandem, miseri, fugistis. Vobis hoc insperantibus atque invitis, libet jam millies Jesum invocare.

[58] [itaque ager inter fidei ac spei actus] Atque in hunc modum spiritu exultans, versus ad sanctissimam Crucifixi imaginem, quam unus ex circumstantibus tenebat in manu, eo animi ardore oravit; ut nemo ex iis qui aderant lacrymas tenere potuerit. Cernere erat, eum totum esse in agendis gratiis, commemorandoque quod a Deo

acceperat beneficio, atque inter hæc dicentem; Mi Jesu dulcissime, mi amor, mi creator, mi redemptor! quis enumerare poterit unquam quæ a te acceperim beneficia? tum ad amicos conversus; O quæ, Fratres, hisce ego vidi oculis! monentem rogo audiatis, Deo Optimo Maximo vos totos tradere ne gravemini. Quid causæ est, bone Jesu, quod ego loqui vix possim? Tradatur mihi quæso Crucifixi imago, eam in manu tenere quantum cupiam, explicare vix possum. In eaque religiosissime exosculanda has iterabat voces; Dominus meus Jesus Christus perpetuo vivat. Quis erit dulcissime Jesu, qui me a caritate tua separare possit? Post, ira in dæmomonem commotus; Et quid de me cogitabas, miser, nisi morientem fallaciis a Christi fide abducere? Quid isthuc, mi Deus? fidem, quam jam inde a puero suscepi, mutabo? [dæmoni insultans,] absit. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Et paulo post; Nonne de Christo in sacris legimus litteris, Ego sum via, veritas, & vita? Ergo si Christus veritas est, & is ipse sacratissimam suam nos legem edocuit; qui igitur fieri poterit, ut de ejus certitudine veritateque dubitem? O nequissimum dæmonem! O flagitiosissimum! Ejusque sitis, Deo scilicet gratias agendi dæmonumque imbecillitati insultandi, expleri dicendo non poterat, quin accendebatur magis. Sed cum videret beatus Pater eum in his plus nimio defatigari, ut vires imminueret; suspicatus ne exitum sibi ipse his motibus acceleraret; Jam satis, inquit, est, fili: mendacem impiumque dæmonem missum facias velim; totam spem tuam in Deo inque sanguine ejus pretiosissimo, quem pro te fudit, colloces moneo; ipse enim tibi victoriam largitus est: is ipse in te, ac pro te, dæmonem vicit iniquissimum. Quibus verbis motus Gabriel paulisper interim acquievit; sed haud multo post majoris quietis desiderio adstantes rogavit, ne de cetero vel ad modicum tempus sibi quidquam dicerent; Proditor enim ille, adjecit (dæmonem intelligens) me plus nimio afflixit gravissime. Interea adstantes, [placidissime

moritur.] quod Gabrielem, & expedita lingua loquentem, & viribus valentem viderant, plane credere cœperunt, eum ad sequentem usque diem vitam producturum. Idque cum Damianus Valentinus, qui ægrotum curabat, ad Philippum detulisset; Haud ita erit, respondit ille: ubi situm mutabit, illico morietur. Nec incassum verba; siquidem vix medietas horæ abierat, cum ille se ad eam partem componens, ubi Philippus erat; Christi nomen ejus opera inclamans, in manus Jesu, tamquam ad nuptias evocatus, spiritum exhalavit, anno hujus seculi quinquagesimo octavo, tertia hora noctis. Quod quidem spectaculum ita eos excitavit, qui aderant morienti, ut ex iis nemo esset, quin toto jam pectore cogitare cœperit de extremo ipso certamine, in quo uno tota res nostra agitur.

[59] Hoc ipso anno [erant] duo ex ejus filiis spiritualibus, Italus unus, Gallus alter; huic Aloysio erat nomen; [Philippus periclitanti, ut prædixerat, discipulo] Itali, qui aulicus erat Guidonis Ascanii Cardinalis Floræ, excidit: ex his solus Aloysius superstes est, agens ætatis octogesimum & eo amplius annum. Quodam die, cum sumpta occasione Philippus in horum sermonem multis præsentibus venisset, hæc de eis effatus est: Italus, qui multo melior Gallo videtur (erat enim vir magno orationis & mortificationis studio, in eoque pietas conspiciebatur illustrior) cœpti pœnitens in Ægyptum reverteretur: Aloysius vero pietatem, quam sequi inchoavit, illo felicius retinebit. Interea lapsis paucis diebus rogat Italus, dæmone instigante, Philippum, cum nullam haberet justam causam, ut facultatem sibi faceret Neapolim eundi; Roma enim egredi is in animo habebat, ut ad bellum proficisceretur. Hæc autem ubi beatus Pater audivit, subodoratus id quod erat (noverat enim ipse dæmonis insidias) abeundi facultatem, ne filii salus in discrimen adduceretur, negat. Ergo cum is neque exorari, ut ad se rediret, neque ut ab hac voluntate discederet ulla ratione adduci posset; ubi illa non procedunt, minatur

illico Philippus, si id faciat, vel in mari submersum iri, vel certe in Turcarum laqueos incisurum. Haud vanum fuisse beati Patris eloquium, docuit eventus. Is quippe nihil his immutatus, cum ex Urbe jam recessisset, atque per mare inveheretur, in medios Turcas delapsum se animadvertit. Quare myoparonum piratarum adventantium (quorum ingens manus erat) visu perterritus, jam prope res erat, ut caperetur a barbaris, utpote qui viribus ac numero nostris superiores erant. Is itaque ingenti timore correptus, consilii inops desilit in mare, ut vel sic Turcarum manus evaderet. [in mari apparens, cum liberat.] Sed cum rapidos in gurgites delatus se regere nequiret amplius, jamque vorticibus implicitus aquarum impetu ad certum afferretur exitium, beatum Patrem, cujus verba in memoria habebat, utcumque potest semivivus implorat. Mira dictu res! Extemplo Philippus (Romæ quamquam tum erat) mediis nihilominus in fluctibus adest periclitanti; porrectaque dextera hominem, aperto ore hiantem aquis, & in ulteriorem gurgitem omni impetu progredientem, sustinet sublevatque; donec per longum maris tractum ad terram mirabiliter transvexit incolumem, atque in sicco reposuit.

## CAPUT VI.
## Annus Christi 1559, Ætatis Philippi 45.

[60] Non contentus Philippus iis, quæ fecerat & statuerat, ut suorum pectora ad Sacramentorum frequentiam, [Usus obeundi in bacchanalibus 7 ecclesias] aliaque pietatis opera inflammaret servaretque inflammata; voluit etiam, ut omnem eis pro viribus peccandi facultatem adimeret, quo die in Bacchanalibus licentiosius ab hominibus vivitur, eo die illos ad septem Urbis ecclesias ducere: nec enim solertior in quærendis Christo gregibus, quam in tuendis extitit. Ibatur initio a paucis: erant omnes ad triginta. [ordine optimo,] Non multo post tantæ multitudinis concursus ad eas est factus, ut numerus hominum qui eo

convenirent plus mille esset. Ordo is erat. Convocatis primum omnis generis hominibus, tum præfinita die per se quisque summo mane SS. Petri & Pauli basilicas obibat; cumque omnes in ecclesiam S. Pauli ecclesiæque proxima loca, uti præceptum fuerat, convenissent; Philippo mox Patre annuente incipiebat agmen, mirabili cum alacritate ac fervore spiritus, ad templum S. Sebastiani procedere: inde ad Basilicam S. Joannis Lateranensis, tum ad sanctæ Crucis in agro Sessoriano, & inde ad alias incedebant singuli, ita æquato instructi ordine, ita paribus divisi intervallis, ea vultus compositione & moderatione gressus, ut quocumque ingrederentur, magna defigerent admiratione intuentes. Inter ambulandum nunc letanias, nunc divinas laudes psalmosque suaviter concinebant. In templo vel Sancti Sebastiani vel Sancti Stephani in Cælio monte sito Sacrum solenne, [& hilariter pio institutus,] jucunda cantorum symphonia, consueto ritu ceremoniarum, decenti ministrorum gravitate, fiebat. Sacrificio adstabant omnes; Sacerdote Christi corpore pasto, communicabant minimum octingenti. Absoluto Sacro, ad aprica loca, herbis, vitibus, arboribusque vestita procedebatur: ibi, Patribus alimenta distribuentibus, læta quisque fronte tantum cibi & potionis accipiebat, quantum satis erat. Villa, ad quam primis illis temporibus veniebatur frequentius, Virginiæ Maximæ erat; ibatur etiam quandoque nunc ad Mattheiam, nunc ad Crescentiam: in hisque extruebatur mensa, non conquisitissimis cibis, sed multo pane ovisque, pomis & caseo. A prandio, actis Deo de more gratiis, procedebant mox omnes miro ordine atque silentio ad Scalas sanctas; certisque passuum intervallis, ad lætitiam religionemque excitandam, canebatur in via. Inde ad basilicam sanctæ Crucis veniebatur, tum ad S. Laurentii in agro Verano, inde demum ad S. Mariæ ad Præsepe: ibique sermone primum de rebus divinis ad multitudinem habito, quod in aliis, ecclesiis fieri consuevit, magno cum audientium

fructu, tum hymno suaviter decantato, suo quisque arbitratu domum remigrabat. [magno cum fructu.] Hujus quidem profectionis tanta erat animorum utilitas, ut ex ea multitudine non deessent, qui divino tacti spiritu usque eo ad pietatem inflammarentur, ut se totos Sacramentorum frequentiæ, vitæque ex Deo agendæ ad Philippi Patris arbitrium traderent.

[61] Verum cum nolit Deus suos milites in otio torpere, [Hinc sumpta occasio obloquiorum] sed semper in acie, in pulvere, & labore versari; ut, sicut in igne aurum comprobatur, sic eorum virtus in ipso certaminis periculo magis elucescat; ejus permissu anno hujus seculi quinquagesimo nono factum est, ut ea de qua diximus peregrinatio, tam non infrequens quam omnibus fructuosa, ut probis piisque viris maximo exemplo erat, ita invidis atque malevolis offensioni essent, materiam illis præbens in Philippum acerrime insurgendi. Videntes enim quidam majorem indies hominum concursum ad eum fieri, cœperunt, privatim inter se primum, deinde palam de ejus fama detrahere; ambitiosum, laudisque popularis cupidissimum appellantes, hominum plausum ac sequelam affectantem. Nec deerant, qui eumdem non ambitionis modo plenum prædicarent, verum gulæ etiam deditum edacem, atque lurconem insignem; simulque adjicerent, quo eorum opera in odium offensionemque populi incurreret, eum conventicula colligere, seditionem concitare, concitatamque fovere, & quidquid de innocentissimo viro ignominiosius dici poterat. [& calumniarum in Philippum,] Sed nec his contenti, tota præterea Urbe falsis rumoribus dissiparunt, illum in ecclesiarum peregrinatione, non Dei gloriam animorumque salutem, sed se ipsum propriamque sui gloriam quœrere: ibique opipare satis lautissimis cibis, quorum magna illi apponebatur copia, vesci. Eoque tandem dæmone instigante adducta res est, ut quæ falso de ipso proferebantur, adeo in Urbe divulgata fuerint, ut

jam ubique locorum palam de eo detraheretur ab omnibus. Hæc autem cum Philippo innotuissent, fretus ille tum præclaro conscientiæ suæ testimonio, tum etiam Christi Domini nostri promissionibus, qui dixerat, se apud eos qui tribulationibus premuntur perpetuo mansurum; omnes illas diaboli machinationes omnesque ipsius impetus invicto animo sustinebat, metu prorsus vacuus.

[62] Interim adversarii brevi rem totam ad Præsulem Ecclesiasticum, generalem Urbis Vicarium, [qui acriter reprehenditur a Vicario,] & ad alios, qui per id temporis res Fidei administrabant, deferunt: Philippum accusant, non ambitionis modo ac superbiæ aliorumque criminum, quæ ipsi finxerant; sed etiam ut qui conventicula colligeret, novamque sectam ambitionis plenam inducere tentaret. Hæc ubi Præsul audivit, magna confestim, zelo fidei, iracundia commotus, quietique urbanæ (pro officii sui munere) studens, Philippum accersit, gravibus verbis eum excipit, objurgat, minatur carcerem, jubet a talibus abstinere, comites apud se ducere nullos, spondereque toties quoties vocaretur judicio sisti, quindecim dierum spatio exacto nullius audire Confessiones, sermones ad populum non facere, nisi nova ei ab se concessa licentia. Quæ omnia hilari ille fronte suscipiens, id tantum, qua potuit animi demissione ac modestia, responsi dedit; paratum se esse, ut opus inceptum prosequi, ita ab illo pro Superiorum voluntate cessare; nihilque sibi in animo versari, quam Dei honorem animarumque lucrum. Quibus verbis Præsul iratior effectus, eum suis ædibus, post contumeliosa aliquot verba, ejecit. Acerrima quidem fuit hæc Philippi vexatio, [sed hanc & alias ab aliis injurias] qua non modo a viris mundo deditis, sed etiam Deo dicatis, quorum aliqui eodem cum eo tecto vivebant, gravissime exercebatur: quandoquidem cum cernerent pii aliquot Sacerdotes multitudinem, quæ illum ad sui spiritualem profectum sequebatur; ei crimini dare cœperunt, quod elatum haberet animum. Et hos quidem

Philippus non solum in via Domini adversarios passus est, sed quietis perturbatores: quamquam animo numquam ipsorum dictis factisque motus fuit. Si quid erat mali quod pietatis specie ei struerent, hoc non modo hilariter patienterque ferebat; sed etiam injurias, sibi indigne factas & non ferendas, injuriarumque auctores, suos in Christo filios, quantum maxime poterat, celare nitebatur. Quod si contingebat, ut ii discipulis suis patuissent; [apud suos excusat:] ea erat Philippus caritate, ut quos occulere non poterat; eorum saltem facta dictaque (quo omnem prorsus malam de illis opinionem ex animis alumnorum evelleret) iisdem præsentibus audientibusque, aliter atque facta dictaque erant, interpretabatur, Deumque pro ipsorum salute lacrymarum plenus precabatur assidue: erat enim ex ea schola, quæ orandum tradit pro inimicis, & bonum pro malo referendum. [Matth. 5, Rom. 12.]

[63] [promittitur ei cœlitus remedium,] Cum itaque his curis angeretur, quotidianis orationibus sibi a Deo efflagitabat auxilium. Nec incassum missæ preces: venit enim intra præfinitos dies ad Oratorium nostrum Sacerdos quidam ignotus, fune cinctus, demissis humeris, honesta facie, colore inter album & fuscum, barba & capillo natura nigro: is multis audientibus dixit, se missum esse a quibusdam Religiosis viris, quibus rem magnam Dominus indicaverat: ea autem erat (quam, remotis arbitris, Francisco Mariæ Taurusio exposuit) ut indiceretur quadragenarum horarum supplicatio; Ex ea enim, ait, magnus sequetur fructus, tota hæc diaboli impugnatio fumi instar evanescet, Oratorii opus magis quam antea efflorescet: qui Philippum insectantur, si in cœpto persistent, diem obibunt. Narravit deinde idipsum Philippo: qui cum totus a Deo penderet, numquam de divina ope desperaverat, numquamve animum desponderat, quin imo hæc semper, ut cetera fortiter & constanter sustinuerat & sustinebat. Interea cum hunc in

modum exerceretur, patientiaque superaret omnia, diceretque idcirco se ea oppugnari tentatione ut animi humilitatem acquireret; & ut primum ex illa fructum cepisset, finem illico habituram; meritus est ut sui memor esset Omnipotens. [& inventus innocens,] Namque cum mira demissione modestiaque Judicibus responderet, non magis ad inceptum opus prosequendum, quam ad intermittendum paratum esse; nihilque se præter unam Dei gloriam quærere, suamque ad Superiorum voluntatem accommodare; hoc humilitatis ac singularis constantiæ specimen Magistratum ad benignitatem induxit. Quippe certus jam factus de ejus vitæ innnocentia morumque integritate, malignantium adversariorum technas in nihilum redegit, concessaque illi libera facultas est suo more vivendi, peccatisque obnoxios ad Deum qua vellet arte trahendi. Testantur sane qui cum eo tum versabantur, numquam illum animo vel minimum excidentem vidisse, [prosequi cœpta permittitur.] sed contra majores indies ad Dei gloriam promovendam vires collegisse. Unus tamen ex iis, qui Magistratui præerat, magni vir nominis, cum pertinaciter in homine Dei comprimendo persisteret, repentina morte intra præfinitos dies ex hac vita sublatus est, anno hujus seculi quinquagesimo nono, X Kalendas Junias.

[64] [Hinc ille jam magis frequentari cœptus,] Interea cum in vulgus relatum jam esset, Philippo iterum datam facultatem quod vellet faciendi; cœperunt ut prius homines, non ex plebe tantum, sed ex nobilitate etiam, Sacramentorum consiliorumque causa illius cubiculum frequentare. Fructus, qui ex piis ejus colloquiis procedebat, multus erat, indiesque crescebat assidue; ex quo fiebat, ut multos, adjuvante Domino a sceleribus ereptos, ad Christum adjunxerit felicissime. Proximorum caritate adeo ardebat, ut illum ad omnium utilitatem natum crederes: in omnes enim effusus; quasi omnium parens, vivebat omnibus, ut omnia omnibus, quo omnes

Christo aggregaret, factus esset. Hinc fiebat, ut flagitiosorum hominum ita frangeretur misericordia, ut cum eos intueretur, [totum se impendere proximo,] vix se continere posset quin multas profunderet lacrymas, internæ ipsius caritatis præclarissima testimonia. Nulla res erat omnium quam ipse magis cuperet, quam proximorum salutem. Accedentium Confessiones omni tempore excipiebat, eosque aut consolando, aut consilio, aut re adjuvabat mirabiliter; in id vel maxime incumbens, ut omni deposita solicitudine, Deo Sanctisque omnibus se suamque salutem curæ esse cognoscerent, seque demum peccatis omni ope abstinere contenderent. Crebris repetitisque sermonibus de rebus piis illos ad bene Christianeque vivendum hortabatur, nihil prætermittens eorum quibus eis vel minima in re prodesset; [excludere nominem,] ardentissimaque cupiditate motus eosdem Christo arctioribus vinculis conjungendi, seipsum relinquebat potius suaque commoda, quam illos desereret. Sui copiam omnibus faciebat assidue: cubiculum suum perpetuo venienti cuilibet patere voluit, dicereque solitus erat, se nec tempus quo sibi vacaret, nec locum ubi solus esset cupere: sat sibi esse, si quibus rebus poterat proximum juvaret. Hinc factum est, ut qui ei erant a ministerio interdixerit, ne quemquam cubiculi aditu prohiberent, [etiam cum oraret,] neve ad eum adeuntibus; Philippus, dicerent, quieti se dedit; Philippus in cubiculum nuper recepit sese. O hominem proximorum desiderio Deique gloria flagrantissimum! quem non quies, non remissio, nec quidquam aliud quod delectationem afferret delectabat: nihil in vita expetendum arbitratus est, nisi quod esset cum Deo mortaliumque salute conjunctum.

[65] Illud etiam sæpe contingebat, quod completo Sacrificio accedebant ad eum quamplurimi; quos ille summo caritatis affectu, aliorum magis quam sui memor (etsi jucundum sibi erat contemplationi eo tempore

vacare) excipiebat. Orationis quidem meditationisque studium in illo eximium fuit; [nullum laborem recusare.] sed tamen ut proximos juvaret, ipsorum utilitatem suis commodis sanctisque cupiditatibus præferebat: hinc dicere solitus erat; animæ Deum amanti nihil contingere jucundius nihilque suavius, quam Christum Christi amore relinquere. Nihil præterea laboris erat, quod alumnorum causa non subiret: omnia excogitabat, moliebatur, efficiebat, quo filiis consultum foret: nihil, ad eorum spiritalem profectum quod pertineret, omisit. Si contingebat e suis quemquam tentatione premi, vix ac ne vix quidem verbis explicari potest, quanto studio & cura adesset, opitularetur, animum adderet. Ad omnium ingenia ita se accommodabat, ut, Apostoli Pauli instar, omnibus omnia fieret mirifice. Quid quæso non faciebat ille, ut, quos Christo genuerat, Christo servaret? Consilio quidem quantum poterat, labore plus pene quam poterat, vigilabat pro ipsis; docebat eos orare, mundi contemptum monebat, Deo se totos tradere hortabatur; apud se etiam primis illis temporibus, ut vel sic majore eos inter se amore conjungeret, frugali cœna pascebat; instar gallinæ factus, quæ ex naturæ instinctu id habet, ut congreget pullos suos sub alas; & Aquilæ non dissimilis, de qua hæc in sacris Codicibus verba legimus, Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. [Deut. 32, 11.]

[66] [rapi ad divina solitus,] Philippus precandi assiduitate hoc acceperat, ut mentem in Dei divinarumque rerum cognitione perpetuo defixam haberet: quo fiebat, ut raptuum fugiendorum gratia, animum a divinis, quod ante diximus, removere cogeretur; faciliusque Philippo erat in Deum rapi divinaque pati, quam illis, in quibus calor Spiritus sancti refriguerat, mentem ad res mortales convertere. Inter orandum celebrandumque extra se positus videbatur creberrime, ut corpore quidem coram adesset, animo vero in cælis

versaretur. Observarunt eum nonnulli sæpissime, in Hostia salutari de more attollenda (senio etsi confectum) consistentem in digitis: eumdem præterea extra se raptum, cum oraret, deprehenderunt complures. Eodem anno Patres Cœnobii S. Mariæ supra Minervam, quo tempore eis Angelus Diacetus præerat, [visum in extasi sibi Christum fatetur.] intra claustra domus quadragenarum horarum supplicationem ob res graves indixere. Orationi interfuit Philippus; precabatur ille loco abdito, ibique se Deo conjugens, totus extra se rapitur; lapidisque instar factus, apertis oculis hilarique vultu sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum intueri videbatur. Id cum quidam adverterent, propere ad ipsum accurrunt; eumque, quem calor vitalis jam pene totum reliquerat, nominatim ut ad se redeat inclamant, manibus contrectant. Sed frustra omnia; nihil enim ille audiebat, nihilque movebatur, sentiebat nihil. Ergo id quod erat suspicati, in cubiculum ei loco proximum inter manus deferunt, expiranti similem sensusque omnis expertem: ubi tamdiu eum reliquerunt, quoad totus hilaris ex raptu ad se redire visus est. Tum interrogatus ab Angelo Diaceto & Felice a Castro-Franco ex eadem familia, quidnam sibi accidisset; vix illorum precibus victus modeste verecundeque hunc in modum respondit: Preces vestras, Patres mei, Dominus audivit benignitate sua. Sed hujusmodi responso haudquaquam contenti, instabant enixius, ut rem totam exponeret: quibus tandem cedere coactus, Oranti mihi, dixit, Christus sese ostendi, adstantesque signo Crucis munivit.

[67] Venerat eodem ferme anno Cæsar Baronius, Dominico die, ad beatum Patrem, ut confiteretur de peccatis suis. Cui ille; nunc, inquit, ad xenodochium sancti Spiritus; audiam te post, ne moreris. Sed cum Baronius horam ægris ministrandi jam abiisse responderet, [In nosocomio mori ægrum absens cognoscit,] ac proinde nihil superesse faciendum, quod eorum commodis

utilitatique serviret (quippe tum capiendæ quietis tempus erat) Perfice, subjecit mox Philippus, propere quod mandavi, tua quod nihil refert percunctari desinas, nihil aliud dicam. Paruit mox ille (ne minimo quidem spatio temporis interjecto) jubenti; inque Nosocomium ingressus, secum ipse animo agitans, non sine causa eo se a Philippo missum esse; circumspectare cœpit, si quem cerneret sua ope indigentem; interque circumcirca prospiciendum æger extremum agens spiritum ei sese objicit, [Sacramentis non præmunitum;] candela de more ad ejus caput accensa. Quamobrem arbitratus illum ipsum esse ad quem mitteretur, ad lectulum accedit, ægrotum vitali spiritu pene defectum offendit; quærit ab eo primum peregerit ne peccatorum Confessionem, sacramne Eucharistiam sumpserit. Cui cum ille intermortuis vocibus, sine ejusmodi Sacramentorum perceptione se mori respondisset; advolat illico Baronius ad Sacerdotem: rogat morientis peccata auditum eat, a mora ei periculum esse vociferatur. Quibus Sacerdos perceptis, coram Baronio de negligentia purgat sese. Æger, Domine (dicere cœpit) cum heri a prandio intempestive ad nosocomium nostrum venisset, in lectulo, quod alieno tempore accesserat, salutari peccatorum Confessione nondum perpurgatus, collocatus fuit: interea ejus rei oblitis ministris Confessionis beneficio ægrotus privatur, quem adeo morbus improviso oppressit, ut repente insciis nobis ad ultimum periculi venerit; id autem ubi ipsi comperimus, eum illico jam destitutum viribus, interclusa anima, ut loqui non posset (actum enim de eo jam erat) extremo vel minimum Oleo (aliis Sacramentis, ob viri impotentiam, quippe mors instabat, non administratis) munire curavimus. Hæc ille Baronio retulit; sed mira prosequamur. Accedit Sacerdos ad morientem, de necessitate ultima monet, [eique succurrit misso Baronio;] confiterine velit exposcit. Annuit, atque ubi (rem dictu mirabilem!) Confessionem peregit, sacrumque de manu Sacerdotis Viaticum sumpsit; illico; astante semper

Baronio stupore attonito, exspiravit: miroque prorsus modo factum est, ut labente jam spiritu, tamdiu æger produxerit vitam, quamdiu beatus Pater de statu ejus divinitus admonitus miserit qui curaret, ut omnibus Ecclesiæ Sacramentis præmunitus supremum diem expleret. Post hæc reversus ad Philippum Baronius, omnem rem ordine aperit: cui ille, Ex his, ait, jam discas velim, quod tibi deinceps mandavero, id sine cunctatione exequaris.

[68] Non abs re, opinor, erit, si hoc loco aliquid scribam de ejusdem Baronii Annalibus, quandoquidem ad eos conscribendos a Philippo impulsus fuit divinitus: [qui a sermone de extremis habendo,] rem ut gesta est, explicabo. Cum primum ille ad populum sermones habere cœpit, æternos cruciatus apud inferos impiis constitutos, rursumque sempiterna & quæ verbis exprimi non possunt præmia, quæ probos manent in cælo, proponebat: divini judicii quoque severitatem mortisque memoriam gravibus verbis inculcabat. Id ubi crebrius beatus Pater advertit, divini spiritus impulsu Baronio jubet, ut fine ejus generis sermonibus facto, ad Ecclesiasticam historiam in Oratorio referendam se convertat. Cui cum grave sibi id esse responderet, [jussus historiam eccles. explicare,] quod putabat nullam ex eo labore utilitatem capturos esse adstantes; instat iterum his auditis Philippus, urgetque etiam atque etiam, ut imperata facere non differat. Ergo aggreditur ille iteratis sæpe ejusdem Philippi jussionibus Ecclesiasticam historiam: id autem opus adeo beatus Pater urgebat, ut si quando Baronium vel tantillum a cœptis desistentem vidisset, stimulis acerrimæ reprehensionis impelleret, excæstuans (ut ejusdem Baronii verbis utar) zelo Ecclesiæ laborantis. Ubi mente illa sua, divino perfusa lumine, atque prophetico afflata spiritu, vidit e portis inferi in Ecclesiæ detrimentum satanæ progressas esse centurias; ex adverso consurgens, pro domo Israël præliaturus prælia Domini, non minore vel

pari saltem numero militum compensato certamine, decernendum putavit. Elegit itaque ex iis, qui eum sequebantur, Baronium quem unum, quasi aliud agere simulans, tot objiceret armatis hostibus. Exorsus itaque ille impositum onus, illud quidem, [totis 30 annis hoc agit,] quod ejus jussione semel cœperat, ad triginta annos feliciter propagavit, ipsam integram rerum gestarum seriem septies in Oratorio repetendo. Mirum videre erat, qua anxietate Philippus adstaret operi; urgens præsentia, instans verbis, durus nonnumquam Baronio videbatur pensi divinæque operæ exactor, cum ad aliena ab instituto se divertere ne vel minimum pateretur. Quamobrem sæpe aliquid ille humani in eo sustinebat, nondum intelligens, beatum Patrem divino afflatum spiritu id ab eo exposcere. Quam vero ex his utilitatem consecuta sit Ecclesia, non attingam: quid enim opus est verbis, ubi res ipsæ per se loquuntur?

[69] [Iuvenem Sacerdotem Philippus] Eodem ferme tempore adolescens quidam, Thomas nomine, annorum circiter sexdecim (septimum enim & decimum non expleverat) Romam venerat. Hunc propinqui (quod omnes præter ipsos latebat) ea etsi ætate non erat ut promoveri ad sacros Ordines posset, Sacerdotio tamen initiari fecerant; idque eo consilio, ut aditum sibi compararent ad luculentam magnamque hereditatem, plus quinquaginta millibus aureorum adeundam, quam nullo alio pacto (quod heredes secundi erant) nisi Thomas, cui ea obveniebat, Sacerdotalem vitam amplecteretur, obtinere poterant. Is itaque ubi Romam pervenit, mox secunda circiter hora noctis ad beatum Patrem adducitur: qui simul atque illum vidit, Sacerdos es, ei dixit, an non ita est? Cui Thomas, Haud dubium, inquit, id quidem est: Sacerdos sum: verum dicis: eique cuncta exposuit, ut se habuerant. Ea porro praedictio admirabilis prorsus extitit, quandoquidem is plane ignotus erat Philippo adolescentulus, qui ætatis annum septimum & decimum

non excedens, laicorum more indutus prodibat. Narravit deinde Beatus Pater Francisco Mariæ Taurusio, se Thomæ faciem eo fulgore, [ex splendore cognoscit,] qui e Sacerdotali charactere fluit, splendentem vidisse. Cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, auctor est idem Franciscus Maria Taurusius Cardinalis, Philippi familiarissimus, qui eamdem jurejurando firmavit. Nunc discedam a rebus a Philippo gestis Paulo Quarto Pontifice: sed adjiciam prius hæc paucula, quæ, quoniam quo Pontificatus anno gesta sint, ignoro, in extremum locum conjicienda fuere.

[70] Venit quodam die mane ad beatum Patrem Franciscus Maria Taurusius: huic mox Philippus: Quid ei mulieri, inquit (eam proprio nomine appellans) factum censes? [item absentium mortes,] quamdudum non vidisti eam? nostin' quis sit ejus vitæ status? magna enim ejus causa solicitudine afficior, recta quantocius ad eam, ipsaque visa ad me quamprimum revertere. Erat ea mulier pietati dedita, Philippo de peccatis suis confitebatur, seque in nosocomio S. Jacobi Insanabilium dedicaverat egrotantium feminarum obsequio. Hæc itaque, etsi paucis ante diebus optime valebat, tamen ex improviso morbo oppressa difficillimo, qui subito attulit mortem, sacris jam candelis ad caput ejus accensis agebat animam. Feminam ergo jam cum morte luctantem offendit Taurusius, omnibus sensibus destitutam, spiritum efflantem: mox ad Philippum reversus rem ei totam narravit, qui feminæ statum, de qua nihil prorsus acceperat, divinitus præsenserat. Dux quidam militum apud Philippum Confessiones agere cœperat: hunc ille cum diebus aliquot non vidisset, id quod erat præsentiens divinitus, misit qui omni adhibita diligentia ac festinatione investigaret ubi is moraretur: quem enim locum incoleret ab alumnis Philippi ignorabatur omnino. Ergo quæritur, quæsitusque invenitur, præter omnium

opinionem vitali pene spiritu defectus, ad mortem properans.

[71] [& conscientiarum arcana,] Enituit præter ceteras iisdem ferme temporibus in beato Patre isthæc virtus, ut occultissimas hominum cogitationes prænosceret quam optime. Ejus rei certissima indicia habemus quam plurima; illa vero maxime excellunt, quibus occulta hominum delicta ab ipso visa comprehenduntur. Conscientiæ suorum vulnera, quamquam occultissima, divinitus intuebatur, penetrabat; eaque, priusquam alumni verbum ullum facerent, illis ipsis detegebat, his verbis: Tu id periculi subiisti; vel, In hanc culpam prolapsus es: Hæc oranti mihi innotuere. Quibus dictis, salubria ipsis monita tradens, ita eorum animos in Dei timore suique ipsius amore firmabat, ut illos deinceps suo nutu arbitrioque regeret. Intimos mentium recessus videbat, tentationes suorum in Christo filiorum, ipsismet admirantibus reticentibusque, detegebat. Certis nonnunquam hominibus, qui eum conveniebant, colaphum infligere consueverat, dicens: Non te cædo, sed diabolum. Qua in re sanctissimos viros imitatus videtur, qui diabolicas tentationes alapis ab hominibus propulsabant. Multi sane, qui & doctrina & prudentia valebant plurimum, cum animadverterent sua delicta occultasque animi cogitationes Philippo probe cognitas apertasque esse, maximo perculsi stupore, eum tanquam cælestem divinumque virum reverebantur. Aperiebat adhuc sæpissime, quibus cum eo quotidiana consuetudo erat, ipso quamquam ad Confessiones non utebantur, mentis cogitata intimosque animi sensus: quod ille eo consilio faciebat, ut eos ad cælestium amorem atque peccati odium provocaret facilius.

[72] Adolescens quidam Dominicus, cum nocte quadam importunis concupiscentiæ motibus pressus esset, [tentationes quoque,] verecundansque mane, cum his

forte non qua par erat fortitudine restitisset, Philippum ut consueverat adire, domi se continuit; sed eodem die a prandio veniens is ad Oratorium, ut sermonibus interesset (nunquam enim intermittebat unum diem, quin semper veniret) beati Patris aspectum declinare non potuit. Ei ergo accersito; Tu, dixit, superiore nocte acerrimas tentationes carnis sustinuisti; adeoque perfecte rem totam exposuit, ut ille præ nimio stupore obmutuerit. Alio deinde tempore rem nescio quam, penitus occultam, eidem aperuit; quam præter Dominicum sciebat nemo, ipse autem nulli mortalium enuntiaverat. Concludam jam caput his paucis. Adeo excelluit Philippus, [statumque animarum internum.] in dignoscendis cum domesticorum, tum externorum occultissimis cogitationibus, ut vel ex sola facie internum cujusque statum cognosceret. Illud vero contingebat sæpissime, ut qui ad eum ventitabant; Quid tua ist hæc, diceret, nova figura oris? in vultu, fili, morbus tibi est, ægrotatio, & vitium. Quibus verbis internam animi mutationem, quæ in illis quibuscum loquebatur facta erat, significabat; frequenterque eum audires dicentem: Melius nunc habes, Nunc cœpisti convalescere, Nunc statum mutasti. Verbis exprimi non potest cognitio quæ habetur divinitus; ea quippe qua Philippus vel ex solo aspectu interiorem hominum statum noverat, humana haud esse poterat ullo modo. Illud vero nec silebo, hac ipsa tam admirabili cognitione crebrius ab se internum piorum ornatum conspectum esse.

[73] Adolescens quidam Lusitanus annorum septemdecim, Franciscus Bassus nomine, [Egregiæ virtutis juvenem,] beato Patre ad Confessiones uti cœperat: hunc Phillippus ad Sacramentorum frequentiam atque orandi studium suaviter impellens, variisque quas vocant mortificationibus exercens, id assecutus est, ut tantum ille in spiritu profecerit, quod omnes in admirationem raperet, ceterisque exemplo præluceret, divinæque jam gratiæ radii in ejus faciem redundarent. Inter loquendum

vero, jubente Philippo Patre, de rebus piis, eo animi ardore, ea vi ac facilitate sermonem exprimebat, tam dulcia cum Deo Deique Matre miscebat colloquia, tam sancte ac pie consolabatur adstantes, tamque efficaciter de virtutis pulchritudine deque divino amore disserebat, ut omnes qui eum audirent, ac præcipue doctissimus Aloysius Lipomanus Veronæ Episcopus, adolescentuli in dicendo vim, ardorem, & efficaciam non satis admiraretur. Nec hic stetit res: ea erat præterea animi constantia, ut tribulationes omnes, graves licet, non fortiter modo, sed hilariter etiam sustineret: obedientiæ vero tam miro tenebatur desiderio, ut quod Philippus imperaret, quasi ille Angeli vocem audiret, nulla interposita mora faceret libentissime. Is tandem, quod majorem forte vitæ perfectionem cuperet, [assumpto Predicatorum habitu] Religioni S. Dominici se addicere decrevit. Quod ubi Philippus cognovit, etsi moleste ferebat adolescentulum ab se suique institutione disjungere, nihilominus probato diu ejus spiritu & vocatione, ne divinæ voluntati resistere videretur, facultatem ei concessit, anno hujus seculi quinquagesimo nono, octavo Idus Octobris, sacrum Religionis habitum induendi: quod dum fieret, aderat beatus Pater ubertim lacrymans. Lacrymantem, quid fleret, rogitat Franciscus Maria Taurusius: cui Philippus; Hujus adolescentuli, inquit, virtutes deploro. Atque in præsentia quidem, quid isthuc verbi esset, quorsumve fletus ille spectaret, Philippo, qui solus cognoverat, silentio obvoluente, Taurusium latuit: verum quem habuerit deinde eventum hæc adolescentuli in altiorem vitæ statum migratio, res plane indicavit. Is enim, [prævidet deteriorem futurum,] quem ob vitæ integritatem ardentemque in Christum amorem admirabantur plerique, quamquam Religionis habitum non exuit; ad tantam socordiam atque ignaviam delapsus est, ut paulatim in varios fluctus æstusque solicitudinum revolutus, tam grave tædium præsentis status mentem ejus oppresserit, ut de abjicienda severiore disciplina &

seculi commodis repetendis secum ipse meditatus sit. Ergo vitam vagam amplectitur, obedientiam fugitat, certum locum non incolit; nunc unum tenet, inde item in alium se recipit, indeque in alium, miserrimusque miserrimam vitam errans ducit. Vivit is adhuc, institutoque suo vagus & errans, modo huc, modo illuc inutiliter discurrit. Age jam veniamus ad res a Philippo gestas Pio IV Pontifice, Pauli successore, qui Pontificatum iniit VII Kalendas Januarias, anno millesimo quingentesimo sexagesimo.

## CAPUT VII.
## Anni 1560 & trium sequentium acta.

### A. Æt. 46

[74] Anno hujus seculi, opinor, sexagesimo, juvenis quidam non ignobilis, cujus consilium id erat ut voluptatibus obsequeretur, casu inter eundum amicum offendit, a quo humanissime salutatur. [Philippus juvenem simulate confitentem,] Erat is pietati deditus, ducemque Deum in omnibus rebus suis sequens. Amicum itaque, quasi aliud agens secum ducit ad sermones, qui in Oratorio nostro habebantur. Amicus amicum, invitus licet, sequitur; sermonibus interest; quibus completis cum domum redire cuperet, ab amico, qui ejus animi salutem sitiebat, ad Philippum adducitur, perinde ac eo ad Confessiones uti vellet, cum nil minus eo ille tempore cogitaret. Vix hoc amicus fecerat, cum juvenis ab eo se derideri arbitratus, iniquo animo in benefactorem suum esse cœpit; sed tamen beati Patris aspectum reveritus, submissis ante eum genibus Confessionem se facturum profitetur. Itaque flagitia narrare aggressus, cum non esset ei animus exponere singula, ficta de peccatis suis confitebatur. Quod prævidens beatus Pater divinitus, [agnita ejus fictione, convertit.] rogat eum, si aliud commiserit delictum, Confessione aperiat. Cui cum ille

responderet, se omnia jam perfecte planeque patefecisse; amplexatus hominem Philippus, Falsum dicis, fili, ait, quandoquidem ficte & simulate peccatorum tuorum peregisti Confessionem: age jam sequere consilium meum, integre de omnibus confitere: si id egeris, dignus eris ut tibi parcatur. Nec verba in ventum jacta; ita enim penetravit sermo hominem, simulque opinio quam de Philippi sanctitate conceperat; ut repetita Confessione omnium ab infantia peccatorum, totum se illi regendum tradiderit. Is tandem brevi post tempore S. Francisci de Observantia, ut dicitur, familiæ se obstringens, ibidem pio fine quievit: fuit huic nomen, ex quo cœnobio se addixit, Raphael Lupus.

## A. Æt. 47

[75] Anno deinde hujus seculi sexagesimo primo, cum quidam Sebastianus, ex spiritualibus Philippi filiis unus, in morbum incidisset, quem mors consecuta est; vitæ fine jam instante, communi humani generis hoste gravissimis cœpit tentationibus impeti. [discipulum in morte desperabundum] Diabolus enim, ut hominem in desperationem induceret, nigrum sese illi aspectuque terribilem ad videndum objecit, animo ejus insultans. Cujus horribili visu perterritus æger, magnis undique afflictationibus oppressus, prope desperatione torpebat, & horribiles ei adhuc dæmonum facies occursabant. Flexo itaque in mœstitiam ore; Heu me! clamabat, quia perditus sum; Hei misero mihi! dereliquit me Dominus: quid faciam infelix, cum dies meos inaniter transegerim, atque extra viam salutis sim? Duas jam horas nihil habebat in ore aliud, nisi se desperatum esse, nullamque malo suo inveniri posse medicinam, deque se ipso actum esse. Res eo jam periculi venerat, ut amissa corporis spe (erat enim moribundus) pertenuis spes animi salutis ostenderetur. Igitur in hac tanta rerum desperatione ad Parochum descenditur; qui recta ad ægrum contendens, nihil

prorsus effecit. Namque ubi eum ille vidit, mox, perinde ac si dirum aliquod cerneret monstrum atque execrabile, obversus in aliam partem ab eo refugit, clamitans, nullam se (quod a Deo derelictus erat) salutis spem habere.

[76] Interim accersitur Philippus; qui simul ut pedem in limine ostii aulæ domus ponit; Quid est? inclamavit. [tactu tranquillat:] Et cubiculum ingressus, Sebastianum manu leniter apprehendit. Quo attactu illud confestim factum est, ut æger a summa desperatione atque tristitia ad magnam animi tranquillitatem lætitiamque, cunctis qui aderant admirantibus, traductus, alta voce dicere cœperit: Philippus Pater dæmones fugat: en abeunt dæmones a Philippo fugati. O magnam Philippi vim! Vivat Christus, Vivat Philippus, cujus ope ab inferni faucibus ereptus sum. Vigeat Oratorii opus. Vivat Philippus Pater meus, cui tantum debeo, vivatque perpetuo. Lætitia ergo perfusus quam maxima, divinas laudes concinere non desistebat. Mi Jesu, clamabat, Jesu mi dulcissime: invocet quisque Jesum. Cumque frequenter Jesum appellaret, Philippoque ex intervallo longam vitam precaretur, in hæc tandem verba prorupit: En, fratres, Angelorum aspectu fruor, Angelos intueor, qui me ut in cælum perducant, adsunt. Et paulo post: Ecce Archangeli, ecce Throni, ecce Dominationes, ac reliquos aliorum Ordinum Hierarchiarumque enumerans. Et hæc cum diceret, exultans, divinasque laudes concinens, paulo post animam inter manus beati Patris reddidit Deo, IV Kalendis Octobris, ipso S. Michaelis Archangeli pervigilio.

[77] [in partu periclitantem] Eodem anno, mense Decembri, Deliæ Buschaliæ honestæ mulieri, cum jam octavus ageretur mensis quo prægnans erat, quartus improviso partus haud maturus instare cœpit. Doloribus accedentibus accersitur obstetrix, cui Blanchæ nomen erat. Hæc, quamquam ejus artis peritissima, puerperam tamen adjuvare haud potuit. Cum enim fœtum effundere

cœpisset, eam mox difficultatem experta est, ut totum numquam edere potuerit; propterea quod infans, præter morem in utero jacens, pedes tantum inde extulerat, quamobrem partim intus hærebat, partimque prominebat foris. Hinc is erat feminæ status, ut ex imbecilla quadam atque pertenui cordis agitatione quod viveret sentiretur; erat enim, ut omnibus ferme sensibus, ita vitali calore destituta. Collocatur itaque in lectulo, ad eam peritissimi medici advocantur, qui omnibus rebus frustra tentatis actum esse de illius salute proclamant. Idipsum Blancha affirmat, illud simul adjiciens, quod si fœtus, quem mulier expellere foras non poterat, vi extrahi tentaretur; & ipsum in frusta divisum iri, & mulierem illico diem haud dubie obituram.

[78] Jacuerat femina hunc in modum exanimis novem integras horas: [tactu pilei ad se revocat:] cumque jam & a medicis & a domesticis mortua crederetur, Gaspari Brixio, uxoris vice solicito, Philippus occurrit; quem ille fiduciæ plenus quam suppliciter potest magna lacrymarum profusione rogat, ut moribundæ conjugi opem ferat. His ille ad pietatem flexus, ad feminam pergit, eamque ut mortuam offendit. Accedit propius; pileoque, quem gestabat, super uterum ejus imposito, manus in cælum tendit, flet, suspiriaque ex imo pectore ducit; tum flexis humi genibus circumsistentes feminas hortatur, ut pro moribunda orationem Dominicam Angelicamque salutationem recitent; quibus dictis feminam nominatim appellat. Nec frustra; Delia enim, quasi e gravi somno evigilans, cunctis qui adstabant stupore oppressis, Philippo clara mox voce, quamquam nona jam abierat hora qua linguæ usum penitus amiserat, respondit; Quid mihi jubes, Pater? Cui Philippus, Id ego vellem, [& mortuo fœtu liberat.] ut te totam Christo traderes, eumque omnium plurimum amares pro viribus. Tum illa, Faxit Deus ut eum amem; quibus dictis, Adjuva me Pater, subjecit; male me habeo; labore partus

emorior. Mox Philippus, Bono animo sis, servabit te Christus; ejusque corpore Cruce signato foras exiit. Et ecce tibi novum miraculum. Vix inde extulerat pedem, cum extemplo mulier, nulla humana ope nulloque dolore, mortuum fœtum enixa est; idque adeo feliciter, ut eodem momento & præsenti periculo erepta convaluerit, & valens vegetaque e lectulo surrexerit. Sed & illud memorabile: Philippo ocubiculo egresso Gaspar tristis ac lacrymans obviam procedit, quem manu prehensam tamdiu fixis oculis intuitus est, donec ad scalas est ventum. Ibi demisso eo, Perge, ait, ad uxorem tuam; Deus consolatus est vos: ipsi itaque grati estote, in id incumbentes, ut ad custodiam mandatorum ejus advigiletis assidue. Tum Gaspar, sursum omni festinatione properans, moribundam modo conjugem, sanam plane viribusque valentem, fœtu mortuo effuso, comperit.

[79] [apud moribundos sedulus] Reliquum est, ut aliqua etiam de ejus erga ægros ac morientes pietate narremus. Ægrotantium ille curam perpetuo gessit, eorum maxime qui ei aliqua ratione noti essent; eosque singulis visens diebus, omni ope atque opere juvabat. Apud eos qui in ultimo vitæ periculo constituti erant, si opus erat, pernoctare non gravabatur; illosque ad supremum illud certamen roborans atque confirmans, plerosque de se nimium confidentes ad humilitatem inducebat; quos vero ad desperandum de Dei misericordia dæmones urgebant, hos ille ad spem divinam divinamque fiduciam mirifice erigebat. Veniamus ad exempla. Magnum eodem anno ostendit Philippus caritatis affectum erga Jacobum Marmitta, supremis appropinquantem. Erat is Cardinalis Riccii Politiani a secretis, ingenio, prudentia, litterisque apprime ornatus: confitebatur sæpius per hebdomadam peccata sua Philippo, [valde eos animat.] cui carus erat, atque communicabat in ecclesia S. Hieronymi. Cum is itaque in morbum incidisset, qui paucis post diebus attulit mortem, in maximo animi mœrore versabatur: erat enim

valetudo gravissima, quæ acerbos incuteret dolores. Hæc cum Jacobus (inferiori animi portione repugnante) non ea, ut par erat, mentis fortitudine constantiaque toleraret, sed magis de vi morbi quereretur; monitus a beato Patre, ut in Deo confideret, amissamque cordis jucunditatem recuperaret, animumque reciperet, diceretque una cum eo; Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus: Quæ (mox æger queribunda voce subjecit) invenerunt nos nimis. Tum Philippus, ut eas tentationes ab ejus animo propulsaret, dedit se illico in preces; quibus id effecit, ut paulo post respiraret bellator, animum reciperet; nec se tantum recrearet ex timore, sed etiam adeo se erigeret, ut exultans spiritum efflaverit V Kalendas Januarii, anno ætatis suæ secundo & sexagesimo ac mensibus duobus.

## A. Æt. 48

[80] Hujus seculi anno sexagesimo secundo, juvenis quidam non ignobilis, cui Joanni Thomæ nomen fuit, ibat quotidie ad sermones, magis id ut institutum irrideret, quam ut saluti animæ suæ consuleret. Hoc ubi advertunt adstantes, rem ad beatum Patrem deferunt, multaque de istius insolentia queruntur. [petulantem juvenem tolerari jubet,] Quibus ille, Sinite eum, inquit, in hac re gerere sibi morem: hominem, quæso, æquo animo ferte. Sed cum is molestus adhuc esse pergeret, eamque ob rem qui sermonibus intererant, ipsum iterum ad Philippum deferrent; eadem quæ antea ab eodem audiunt. Interea rem miram operatur Deus. Is brevi post tempore, cum nemo expectaret, ita ex ejus rei occassione Patrumque consuetudine immutatus est, ad eamque devenit, sermonum qui ibi habebantur beneficio, [præscius futuræ conversionis.] rerum cælestium intelligentiam & humanarum contemptum; ut omnibus rebus abdicatis, divitiis & honoribus spretis, Christi consilia sequi in animum induxerit. Ergo addixit se Religioni S. Dominici, &

in cœnobio S. Mariæ supra Minervam, cunctis tam subitam hominis mutationem stupentibus, sacrum habitum quarto idus Februarias sumpsit; qui intra paucos menses novitius, pietatis ardore fervens, fiduciæque plenus, diem obiit. Eodem anno ac mense, alius adolescens Paulus e Philippi schola eidem se cœnobio mancipavit: qui cum brevi maximos in spiritu progressus fecisset, fiduciæ itidem plenus ac spei, migravit e vita: Religiosus factus, mutato nomine, Joannes appellari voluit.

[81] Eo ipso anno Idibus Octobris, migravit e vita Joannes Baptista Salviatus, [Morienti I.B. Salviato assistit.] de quo superius est dictum, quippe qui Philippi opera una cum conjuge Portia cælestem pene in terris vitam degebat, summa totius Urbis admiratione; ut quæ horum divitias, nobilitatem, juventutem, corporis venustatem, & anteactæ vitæ delicias noverat. Is cum gravissimo morbo afflictatus extremum ageret spiritum, hortatu beati Patris ac Vincentii Herculani, tum cœnobii S. Mariæ ad Minervam Prioris, post Sarsinæ primum, deinde Fori-Cornelii, demum Perusiæ Episcopi; sub vesperum instante prope morte, sacratissimum Viaticum sumpsit; idque tanta cum animi tranquilitate atque constantia, ut cum de morte sibi instante cognovisset, omnibus illico audientibus, clara alacrique voce imperterritus dixerit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Nec multo post totus in cælestem patriam anhelans, felicem in Philippi Patris complexu, læto alacrique vultu, spiritum emisit. Quo mortuo, ejus uxor Florentiæ, ubi tum erat, Monialis habitum, insequenti mox anno, mense Martio, induta; postmodum cæli mutandi studio in Urbem reversa, cœnobium S. Catharinæ nomine construxit in Viminali; ubi ad diem hunc degit.

[82] [ipse quotannis semel iterumque æger,] Vexabatur assidue Philippus, novam Domino servo suo aurearum coronarum indies materiam præbente, diuturnis &

periculosis morbis: ægrotabat gravissime bis frequenter in anno. Ego quidem ex eo tempore quo primum apud illum esse cœpi, nempe ab anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo ad nonagesimum quintum usque quo ille obiit, nullum unquam abiisse memoria teneo quin in morbum delapsus sit. Æger cum esset, etsi ad febrim acerrimi dolores accedebant, tamen cura ne minima quidem conficiebatur: gravitatem morbi, ut a Deo missi, non constanti solum animo, sed libenti etiam ferebat; patientia autem tanta, ut nihil supra. Nullum unquam ejus verbum audiebatur vel de vi morbi querentis, vel ullam eorum qui adstabant opem, ut fit, implorantis. [morbos patientissime tolerat,] Siqua ejus verba excipiebantur, ea erant, quæ summam viri sanctimoniam humilitatemque redolerent: verba lacrymæ comitabantur, quibus circumstantium pectora ad pietatem imflammabantur: omnia servi Dei dicta, facta, & gestus erant ejusmodi, ut illum satis & morbo & doloribus, ipsaque demum morte fortiorem ostenderent. Hoc tamen unum Philippo (qua erat animi demissione) dolebat, quod omnem vitam bonis operibus vacuam, ut ille dicebat, inutiliter transegisset. Æger nihil aliud habebat quod æque lubens faceret, nisi suorum Confessiones, medicis non reclamantibus, excipere: medicorum enim imperium, in his quæ ad curationem sui corporis pertinebant, prompto animo exequebatur.

[83] [depositus a medicis,] Eodem anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo incidit in morbum adeo gravem, ut proxime ad mortem accesserit. Id autem fuit Philippo languoris initium. Cœpit ille primum dolore, qui dextro brachio hærebat, eoque vehementi atque assiduo, misere premi: isque deinde dolor per brachium subinde ad musculorum nervos transiit intendebaturque assidue. Dolori supervenit febris, quæ etsi principio levis erat, tamen haud multo post amplior facta ita invaluit, ut adempta jam medicorum judicio, nempe Hyppolyti

Salviani, Stephani Cerasii, & Barthololomæi Eustachii Urbinatis, omni spe vitæ, dilatio mortis tantummodo quærereretur. Interea tanti Patris filii, metu perculsi ne parente tam optimo privarentur, partim orationibus, lacrymis, ac jejuniis Deum exorabant, religiosissima quæque Urbis loca venerabundi obibant, sanctarum Scalarum gradus ad Lateranum nudis genibus ascendebant; partim vero ei certatim diu noctuque assidebant, pro summo beneficio habentes, si digni invenirentur ægro Patri, [susceptis sacramentis subito convalescit.] ubi opus esset, ministrare. Quid plura? Cum de ejus vita conclamatum jam esset, Viatico, ne quid ad mortem pie obeundam omitteretur, instructo extremoque Oleo delibuto; ecce tibi (alumnis carissimi Parentis discessum misere lamentantibus) divina virtute miraculum. Qui omnium opinione mortuus credebatur, ubi Ecclesiasticis Sacramentis munitur, extemplo medicis admirantibus tota febri eximitur, dolore magna ex parte levatur, paucisque post diebus pristinæ incolumitati restituitur. Illud autem non involvam silentio, quod cum ab aliis, quo tempore moribundus erat, deploratam suam salutem audire; virili præsentique animo adstantibus dixit, Paratus quidem sum, & non turbatus; sed cum Dominus tot me tantisque beneficiis exornarit, nescio quo pacto nulla cælesti refectione spiritus meus tanto in negotio roboretur: quo fit, ut credam nondum migrationis meæ tempus advenisse. Et Francisco Mariæ Taurusio, Per me non stabit, inquit, quin me ad pie moriendum comparem, quamquam certus sum hunc discussum iri morbum omnino.

[84] Ægrotaverat eo ipso anno Mauritius Anerius, & morbo ingravescente ad ultimum periculi venerat; [Manu contactum] ergo a medicis derelictus propinquam mortem expectabat, jamque se alterius initurum viam vitæ Christi corpore instruxerat, sacro etiam delibutum Oleo ad pugnandum cum adversario comparaverat. Hunc itaque

sensibus prope omnibus destitutum cum invisisset Philippus, illacrymantem uxorem & propinquos circumsistentes miseratus, ad morientem accedit, adstantesque hortatur, ut Mariæ Virginis opem pro ejus salute implorent. Tum omnibus genuflectere jussis, manus morienti imponit: quo peracto, inde advertente nemine sese proripuit. Vix ille abierat, cum æger, qui a prima hora ad secundam & vigesimam usque mutus jacuerat, derepente, ceteris rei novitate ac stuporis attonitis, [moribunsdum servat,] apertis oculis quasi reviviscens, redeunte confestim animo, loqui cœpit expeditissime, morboque se plane levatum medicis ipsis admirantibus clamat. Demum novo jam die illucescente (inviserat enim illum Philippus inclinato jam in vesperam die) sanus valensque exilit e lectulo, acceptumque donum omnibus præ gaudio exponere passimque prædicare non cessat; Philippum tantæ rei auctorem vociferatur. Produxit is vitam ad annum Domini usque millesimum quingentesimum nonagesimum tertium, quo tempore V Kalendas Februarii obdormivit in Domino.

## A. Æt. 49

[85] Anno hujus seculi sexagesimo tertio, religiose pieque migravit a vita Bradamantes Aneria. Fuit isthæc magnæ perfectionis femina, consanguineos aliosque multos exemplo vitæ ad Christum adduxit, in operibus misericordiæ versabatur assidue, precibusque insistebat. Sed hic nullo pacto silentio videtur involvendum illud beneficium, quo eam morbo oppressam Philippus affecit, hæc enim aliquot ante annis adeo graviter ex capite laborabat, eaque mali vis erat, ut nihil medicamenta proficerent. Ergo femina, quæ spem frustra in medicis jam medicamentisque posuerat, a Philippo invisitur: qui manu illico prehendens lintea quibus caput involverat, ea vi avellit; Stulta, dicens, qui tibi rei est cum his linteis? [mulierem capitis dolore liberat.] & hæc effatus, illa ipsa

confestim in terram statuit. Quod dum fit, mulier pristinæ continuo sanitati restituitur, ut ne imposterum quidem ab eo se morbo tentari senserit. Fuit ea ex illarum numero, quas Philippus anno hujus seculi quinquagesimo primo Christo lucrifecerat. Cum quodam die, eodem circiter anno, Philippus iter per nosocomium sancti Spiritus haberet, contigit ut cum loco, ubi vulnerati curantur, appropinquaret, divino repente agitatus spiritu, conversus ad suos, En huc, dicere cœperit, ingrediamur; huc enim divinitus impelli me sentio. Et hæc dicens confestim recta ad unius lectulum, [juvat moribundum.] qui animam agebat, advolat: eumque non viribus modo destitutum, sed voce etam defectum labente prope spiritu, offendit. Hunc ergo inclamans id mirabiliter effecit, ut moribundum, stupentibus qui aderant, ad loquendum primum, deinde ad Confessionem peragendam, tum ad sacrum Viaticum recipiendum, & demum ad vitæ cursum sancte pieque conficiendum perduxerit.

## CAPUT VIII.
## Ab anno Christi 1564 ad 1571.

### A. Æt. 50

[86] Philippus interim ubi e morbo, de quo nuper est dictum, convaluit, nuntios ad eum confestim Florentini cives mittunt, [Philippus suscepta ecclesia Florentinorum,] qui postularent, ut ipsorum ecclesiæ, quæ S. Joannis Baptistæ nomine celebris habetur, regimen susciperet. Ad hæc Philippus, qui res arduas non nisi consulto Deo aggredi consueverat, quæ visum est respondit. Sed cum ille rem jam Domino diutius commendasset, annuit tandem, sibique id placere dicit; cupere tamen aliquot e suis discipulis Sacerdotio primum initiari, seque præterea e templo S. Hieronymi haud quaquam recessurum eisdem significat. Accipiunt Florentini conditionem, domum ad habitandum attribuunt: stipendium, unde vivant, offerunt.

Interea Philippus tres e suis alumnis Sacris initiari facit. Primus sociorum, [e suis aliquos ad Sacerdotium promovet;] qui ad apicem Sacerdotii evehitur, est Cæsar Baronius Soranus, toti jam orbi ob eruditissimam Annalium ecclesiasticorum editionem notissimus: hunc S.D.N. Clemens Papa VIII, non longe a Philippi obitu, invitum ac renitentem, sanctæ Sedis primum Protonotarium, ex eorum numero quos Participantes vocant, creavit; deinde reluctantem adhuc reclamantemque, ex Protonotario Apostolico, Sacro Cardinalium Collegio Nonis Junii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, adscripsit. Alter fuit Joannes Franciscus Bordinus, qui ab eodem Sanctissimo Domino nostro, anno hujus seculi nonagesimo secundo, IV Idus Februarii primum Cavallicensibus, postremo Avinionensibus, anno nonagesimo octavo, Præsul datus est. Tertius Alexander Fidelis, Romanus, miræ innocentiæ atque integritatis vir: hujus suavitatem morum præstantemque virtutem, per totos tres & triginta annos, experta est Congregatio. Obiit ille in ædibus nostris calculo laborans, anno hujus seculi nonagesimo sexto, mense Octobri. Hi porro duo ultimi Sacerdotes, Joannes-Franciscus scilicet & Alexander, eodem die ad Sacerdotii culmen evecti sunt.

[87] Convictus cœptus est anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. [Congregationemque instituit,] Principio, etsi ad ecclesiam S. Hieronymi ibatur quotidie, quisque tamen privatim, sine certis tum propriis legibus, ad Philippi nutum vivebat. Primi ex Patribus, qui una esse unaque simul vivere cœperunt, fuere Cæsar Baronius, Alexander Fidelis; quem secutus est Germanicus, fratris filius, eo tempore præstanti indole adolescentulus; quandoquidem is biennio ante Romam veniens ut in litteras incumberet, se totum ad Philippi ductum arbitriumque contulerat. Tum alius accessit Joannes Franciscus Bordinus; quartus, Jacobus Salort, Hispanus,

magna simplicitate vir; quintus, Joannes Rausicus, cui primum animarum cura, ut ejus rei admodum gnaro, demandata est. His initiis Philippus Congregationem instituere aggressus est. Non multo deinde post accessit ad hos Franciscus Maria Taurusius, [cui Taurusius adjungitur,] tum laicus, quamquam inter commilitones suos tamquam sidus elucebat, vir Apostolico spiritu plenus, omnique laude præstantior. Is Julii Tertii affinis, ac Raynutii Farnesii Cardinalis sancti Angeli olim a cubiculo, S. Pii V jussu Michaelem Bonellum, sororis filium, Cardinalem Alexandrinum, in Hispaniam Galliamque ad Reges legationem obeuntem, secutus est: quo in itinere comitem habuit Hippolytum Aldobrandinum, tum Rotæ Auditorem, postea in Purpuratorum Patrum numerum a Sixto V adscitum, hodie demum totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopum, Clementis VIII nomine insignitum. Hic ipse Pontifex Clemens, ubi Romanæ Ecclesiæ clavum tenere cœpit, Taurusium, de quo dicimus, Ecclesiasticis dignitatibus ornare in animo habuit. Ergo anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, mense Decembri, eum primum in Archiepiscopum Avinionensem elegit: tum anno nonagesimo sexto Nonis Junii Cardinalem creavit. Qui novus amplissimæ dignitatis gradus temperato viro summaque virtute exornato nihil dedit novum, nisi ut majore auctoritate prodesse pluribus posset. Anno demum nonagesimo septimo placuit Sanctissimo Domino nostro, ut is deposito Avinionensi Archiepiscopatu, Senensem Ecclesiam regendam administrandamque susciperet, quod & factum est. Taurusium ad socios accedentem imitatus est Angelus Vellius Prænestinus, [cum Angelo Vellio;] qui deinde Congregationi nostræ proximus a Baronio præfuit, & hodie præest, vir nostris laudibus non indigens. Porro Taurusius, & Angelus Vellius, etsi ex antiquioribus beati Patris alumnis habebantur, tamen non tam cito, ut alii, Sacerdotio initiati sunt.

[88] Vivebant Patres eodem tecto, quibus cor unum erat & anima una, [quos suaviter regebat Philippus,] mutuo se ardentique amore diligebant, Deoque rem gratam facere omni ope nitebantur. Alumnos Philippus mira dulcedine benignitateque regebat: omnia enim ille factus omnibus, eos quibus parentis loco erat, consiliis paternisque cohortationibus potius, quam auctoritate imperioque, ad munera obeunda inducebat: illudque mirandum in eo simulque imitandum cernebatur, ipsum nullum ferme unquam imperio aut præcepto ad aliquid agendum impulisse, sed lenitate magis affabilitateque sermonis. Facilius enim ille blanditiis, lenibus adhortationibus, modestiaque, rogantis instar potius quam jubentis, eorum quæ agenda erant, etsi ardua magnaque, obedientiam impetrabat, quam alii auctoritate extorquere soleant; ita autem singulorum animos tenebat, ut eos quoquo vellet impelleret. Ceterum, ut religiosæ vitæ ritum formamque aliquam introduceret, [scriptis etiam Constitutionibus.] Constitutiones quasdam communi consensu condendas curavit, quas alacri fronte promptisque animis susceperunt omnes. Illud vero sapienter monebat, nullam aliam esse certiorem tutioremque rationem recta via quo quis intendit perveniendi, quam gnarum itineris ductorem sequi: contra, nihil periculosum magis, quam suo arbitratu, Præpositorum auctoritate posthabita, semet regere.

[89] At revertamur ad Patres, qui unanimes in Domino ambulantes, [Eorum ibi exercitia ad proximos,] magno cum animorum fructu in Christi vinea excolenda apud Florentinos pro viribus laborare cœperunt: accedentium Confessiones audire: Eucharistiæ sacramentum, qui per Sacerdotium poterant, ministrare: a prandio ad ecclesiam S. Hieronymi se recipere, ut ibi de more sermones de rebus piis ad multitudinem facerent. Dominicis diebus, præter Oratorii sermones quotidianos, modo Baronius, modo Bordinus, in æde sacra Florentinorum, populo qui

aderat cupidissime audiente, e suggestu concionabatur. Quibus rebus brevi factum est, ut tam Sacerdotum numerus, quam confluentium ad eum locum multitudo mirifice augeretur. Dictis factisque populum ad omne officium atque virtutem vehementissime accendebāt: multos a turpi & flagitiosa vita, non ad sobrietatem solum & continentiam, sed ad contemptum etiam rerum fluxibilium, atque ad salutaria Christi consilia, & frequentem Sacramentorum usum suaviter compulerunt; aliosque ad nostrum institutum vitæque rationem amplectendam, crebris sermonibus inflammarunt. Singulis hebdomadæ diebus (ut modo a Patribus nostris, uno excepto die sabbato, fit) quatuor ex selectis Patribus (idonei enim ad id munus obeundum eligebantur) ordinata successione in Oratorio verba ad populum habebant. [& quaterni per diem sermones,] Prædicabant autem hi, non se ipsos, sed Christum crucifixum; eorumque sermones in rebus versabantur moralibus, planis, & ad omnis generis hominum captum, vulgi præsertim, accommodatis. Ergo subtiles disputationes devitabant; de rebus, non dictu speciosis, sed usu necessariis, nulla pompa verborum populum erudiebant; sermones, Sanctorum exemplis, quæ plurimum valent ad sanandas hominum mentes, confirmabant: ex quatuor qui id munus obibant, primi in rebus plerumque moralibus versabantur, alii res gestas Sanctorum seu Ecclesiasticæ historiæ eventa ordine temporum distributa enarrabant, semihoræ spatio singulis ad dicendum concesso.

[90] Perrexerunt Patres tamdiu de rebus divinis in ecclesia S. Hieronymi ad populum dicere, [victus communis.] donec Florentini egregium sane opus, ad hunc usum accommodatum, suis sumptibus ad ripam Tiberis construxere, ubi verbum de rebus piis fieri cœptum est. Hoc quidem vivendi genere plures annos usi sunt Patres, eadem domo viventes, seque suaque divino obsequio & animarum lucro tradentes. Erat omnium marsupium unum,

communis mensa, eaque sobria ac frugalis: oratio & meditatio plurima: Sacerdotibus, qui illis initiis quinque erant, rem divinam facientibus, ceteri aut quotidie aut alternis diebus cælesti Pane reficiebantur. Id vitæ institutum ita multis probatum est, ut plerique ingenio doctrinaque præstantes, cum Sacerdotes tum laici, ultro sese in Patrum contubernium contulerint: non enim omnes Religionis vinculis se astringere omnino audent. Hæc igitur fuere nostris hominibus Congregationis initia.

## A. Æt. 51

[91] Reliquum jam esse videtur, ut ad res a Philippo gestas S. Pio V, [Creato S. Pio V Pont.] quem Pontificem Maximum futurum Pio IV vita functo præviderat præsenseratque, transeamus: vocem enim quamdam in ipso noctis silentio audivit, Frater Michael, Cardinalis Alexandrinus, Pontificatum obtinebit. Creatus is fuit VII Idus Januarias, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, sedit annos sex, menses tres, dies viginti tres. Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Petrus Victricius Parmensis, gravi oppressus a corporis valetudine, tenebatur lectulo. Eum adeo morbus urgebat, [Moribundum sanat Philippus,] ut destitutus a medicis pro mortuo lugeretur a suis. Interim venit ad eum Philippus, manibusque moribundo admotis, precibus pro eo fusis, illud his rebus assecutus est, ut is adeo melius confestim habere cœperit, ut duobus vix interpositis diebus e lecto plane incolumis surrexerit. Vivit is adhuc, confitetur ter per hebdomadam, totidem [vicibus] communicat in templo nostro sanctæ Mariæ a Vallicella.

[92] Eodem ipso anno Antonius Fuccius medicus, quæ esset ejus in morientes pietas, [alium ad bene moriendum juvat,] in se ipso experiri meruit. De eo, cum quodam die, me aliisque præsentibus, loqueretur Philippus; Is, dicere

cœpit, cum virginem quamdam, religiosam valde, gravissimo morbo laborantem, in ecstasi positam comperisset; moratus ibi tamdiu quoad ægra ad se rediret, hæc ab ea ubi primum ecstasi liberatur, audit; Hem Antoni, qua te vidi inter Angelos pulchritudine! qua venustate! Quibus ille perterritus confestim ad beatum Patrem advolat, rem ut se habuerat totam narrat; tum domum reversus, eo ipso die in morbum incidit, ex quo non convaluit. Invisebat eum Philippus singulis diebus maximo caritatis affectu, divinisque verbis ejus animum confirmabat: sed cum ægritudo indies augesceret, ei morti appropinquanti dæmon medici specie sese ostendit; bonum habere animum jubet, vitam pollicetur longiorem, ex morbo evasurum affirmat. Credidit æger suadenti, quem quis esset non noverat; sed a beato Patre aliisque e suis admonitus, diabolicam fraudem agnoscens, mortem libenti animo amplexus est, quæ illo ipso die contigit; obiitque is maxima cum significatione pietatis. Ceterum illud de hoc ipso viro, qui in antiquioribus Philippi alumnis unus fuit, non silendum. [antea jussum ob carnis simulos non dimittere artem medicam.] Decreverat is ob carnis tentationes, quibus assidue in curandis potissimum mulieribus dæmonis arte impugnabatur, medendi curam abjicere: quod cum ille Philippo (quippe qui erat ei a Confessionibus) retulisset, id ab eo responsi accepit: Non potes, nec debes ab arte medica desistere, cum iis qui tibi affines sunt, tute ipse, quod inopia laborent, eo lucro quod in medendo facis, vestitum præbes & victum; cuncta itaque tuæ artis officia securus exequere, nullam unquam posthac, mihi crede, carnis tyrannidem senties. Credidit homo Philippo loquenti, soloque obedientiæ clypeo munitus, ad obitum usque medici officio, absque ullo prorsus libidinis sensu, sive ægris hominibus sive feminis mederetur, functus est. Hoc ipso itidem anno adjunxit se nostris Patribus Franciscus Sotus, Oxomenses Hispanus.

## A. Æt. 52

[93] Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo septimo ineunte, nova exoritur tempestas in Philippum ejusque alumnos; quandoquidem non deerant, qui quod nostrum forte institutum suspectum haberent, de eo funditus evertendo dies noctesque cogitare cœperint: verum, etsi acerrimi erant operis insectatores, Deo rem suam adjuvante, omnis adversariorum labor ad irritum cecidit. Eodem, [Ophthalmiam curat.] ut arbitror, anno, adolescentulus quidam, cui Joanni Baptistæ Crescio e nomen erat, gravi ophthalmia laborabat, & ardentium lacrymarum profluvio, ita ut nec auram nec lucem ferre posset. Cumque multos dies hoc oppressus morbo jacuisset, decreverunt tandem medici cauterio adolescentulo succurrendum esse. At cum id remedium Joannes (id ægri avunculo erat nomen) non approbaret, Joannem Baptistam ad Philippum adduxit; Is, inquiens, qui sororis meæ filius est, ex oculis laborat; rogatque preces pro eo ad Deum offeras. His ille auditis, manibus affectæ parti confestim admotis; Hoc morbo, ægro ait, liber eris. Qui mox habere melius cœpit, paucisque post elapsis diebus, nullis adjutus medicamentis, integram valetudinem recuperavit omnino.

## A. Æt. 53

[94] Sed abeamus ab his, & veniamus ad fructum animorum anni millesimi quingentesimi sexagesimi octavi. Fructus eorum, qui Oratorium frequentabant, tacite magis æstimari ab hominibus, quam a me inconsiderate poni in mea historia decet; sed vel hoc solum de eo dicam, tantæ multitudinis concursum ad sermones fieri solitum, quantam capiebat locus. De eodem hujus temporis id memoriæ prodidit Joannes Rubeus, in libro quem Philippo dicavit anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, [Exercitia Oratorii

magno cum fructu procedunt.] quod abs re forte non erit historiæ intexere. Id tale est. Ex omnibus, quæ Romæ anno superiore (est is annus hujus seculi sexagesimus octavus) sum admiratus, perjucundum mihi fuit intueri tam copiosam piorum hominum multitudinem, S. Hieronymi Caritatis, ut vocant, templum atque oratorium quotidie frequentantem. Quæ quidem singularis exempli exercitatio, præ veterum atque illustrium ædificiorum splendore, tamque præclaris tot principum virorum aulis, eorum omnium quæ se mihi admirabilia obtulerunt, gloriam longe visa est antecellere; eoque plus inde jucunditatis atque admirationis cepi, quod viderem frequentem tot clarissimorum virorum atque omnium gentium concursum tanta alacritate confluentium, ut privatas conciones ac res divinas, de quibus a te (Philippum dicit) puro Christianæ Religionis atque ipsorum salutis ardore agebatur, exciperent. Qua ex re oritur sæpissime in tuis spiritualibus filiis sublimis quædam, terrenis omnibus abdicatis, uni Deo serviendi cupiditas: qui nimirum in variis hodie conspiciuntur cœnobiis ac sacris Religiosorum familiis, propriam vitam huic divino cultui obsequioque perpetuo consecrasse, & cetera quæ sequuntur. Hactenus epistola, ex Italico sermone in Latinum conversa, ex qua satis apparet, qui concursus ad sermones, quæ ad nostros frequentia, quis fructus animorum illis temporibus fuerit. Atqui id non solum recitata epistola; sed voce potius illorum, qui hujusmodi colloquiis intererant, cognovimus; suntque ii, a quibus accepimus, oculati testes, digni prorsus quibus credatur in omnibus.

## A. Æt. 54.

[95] Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Constantius Tassonius, Mediolano Romam a Pio Quinto honoris gratia evocatus, recta ad ædes S. Hieronymi, [Mortem uni e suis præsagit Philippus,]

Philippi salutandi visendique causa, venit. Id ubi ille audit, jubet illico duobus e suis, tum adolescentulis atque ceteris minoribus natu, nempe Octavio Paravicino (quem longo post tempore Gregorius Decimus-quartus, anno hujus seculi nonagesimo primo, ob singulares viri virtutes, Cardinalem creavit) & Germanico Fideli, ut in limine ostii, qua Constantio eundum erat, cadaverum instar sese prosternerent, prostratique tamdiu jacerent, dum ille progrederetur. Atqui, quorsum hæc a Philippo fierent, nemo fuit qui perciperet; verum eventus deinde secutus rem patefecit. Constantius etenim, paucis post elapsis diebus, etsi optime tum valebat, morbo gravi & mortifero derepente affectus, decessit. Eodem tempore Laurentius Christianus (Clericus is erat Basilicæ Vaticanæ) cum ætatis annum vigesimum aut eo amplius ageret, [ab altero, imposita manu arcet.] incidit in morbum; eoque invalescente desperantibus medicis, mortem in horam, solennibus Confessionis, Eucharistiæ, Oleique sancti præsidiis communitus, exspectabat. Cumque sensibus omnibus destitutus detineretur lectulo, a Philippo sub primam horam noctis invisitur: qui mox de statu aegri adstantes rogitat, tum precibus ad Deum fusis, ubi ab oratione surrexit, Laurentius (dixit) ex isto morbo haudquaquam morietur: propiusque ad eum accedens, impositis super illum manibus, ejus nomen magna pronuntiat voce. Nec hæc sane frustra. Moribundus enim, illius clamore excitus, oculos confestim aperit; inde redeunte animo cibum sumit, melius habet, paucisque post horis non omnes modo sensus pariter cum voce recepit, sed excussa etiam febri plane convaluit. Interim medicus, is erat Petrus Crispus, mane a domesticis ad eum revocatus, venarum pulsum explorat; cumque ex pulsu arteriarum salvum esse comperisset, admirans; Major te, Laurenti, inquit, dextera servavit, non mea; neque enim humana es arte, sed divina ope levatus.

[96] Cum Deo proprium sit amicos suos frequentissime exercere, quo eos meritis augeat; hinc mirum nemini esse debet, [Obmurmurantes etiam domesticos patitur.] si Philippum novis semper tribulationibus, & his quidem gravissimis, modo ab hominibus, modo ab ipsis dæmonibus excitatis, divexari permiserit. De viris justis illud legimus: Multæ tribulationes justorum & de omnibus his liberabit eos Dominus. [Ps.7, 20] Tribulationes, quæ sese ei objiciebant, forti semper animo hilarique vultu amplectebatur: in eis enim non modo animum numquam despondit, sed nec vel minima tranquillitatis conscientiæ parte nudari se sensit. Insectatores passus est cum externos tum domesticos, eosque miro Spiritus sancti artificio, patientia, humanitateque frangebat. Ex domesticis non defuere (quod de primariis Sanctis scriptum novimus) qui Beatum Patrem nimia fortasse simplicitate (sic illi appellabant) præditum, nimiumve rudem dicerent. Quæ ille omnia, Christi amore ad majora perferenda paratissimus, ridebat: atque in his non absimilem ipsum fuisse cognovimus sanctissimis illis Monachorum Archimandritis, satis numquam laudatis, Sabis, Theodosiis Cœnobiarchis, Nicetiis, Romualdis, Franciscis; item Beatissimis Episcopis Martinis, magnis Gregoriis, aliisque multis, de quibus similia vel certe graviora circumferebantur, cum alioquin summa illi essent prudentia summaque humanitate imbuti.

[97] In exitu anni sexagesimi noni, & insequente (qui fuit septuagesimus) ineunte, aliis illum modis exercuit Dominus. Quippe non ferens diabolus fructum, qui ex Oratorio nostro ad profectum animorum procedebat, [Occupatus a delatoribus Papa,] simul futura præsagiens; eam confestim quibusdam (qui instituti nostri munera haud forte probabant) mentem injecit, ut Philippum per simulationem pietatis ad Summum Pontificem deferrent; quasi auctor ille esset, ut in quotidianis sermonibus, qui de rebus piis eo præsente atque jubente simulque

interrogante in Oratorio fiebant, multa stulte dicerentur, quæ vel summam simplicitatem summamque ineptiam, vel certe gravem & intolerabilem eorum qui loquebantur arrogantiam redolerent. Hæc ubi ad aures Summi Pontificis perveniunt, veritus ille ne quod novum incendium existeret, [mittit qui colloquia explorent,] hujusmodi rem diligenter cauteque examinandam putat. Ergo accersiri confestim jubet e Dominicana familia doctissimos viros, Paulinum civem Lucensem, & Alexandrum nunc Fori-Livii Episcopum, quibuscum separatim, non modo a reliquis, sed ab ipsis etiam loqueretur. Enarravit quæ de Oratorio nostro auditione acceperat, ac timere se dicebat, ne Philippus (quem idiotam forte arbitrabatur) in iis tractandis quæ ad Christianæ fidei dogmata pertinerent, laberetur. Quo peracto, id utrique sanctæ obedientiæ nomine imponit, ut singulis hebdomadis, quasi aliud agere simulantes, Oratorium adirent, sermonibus interessent; ubi si quid ab adstantibus, doctrinæ ac rerum expertibus, in referendo symbolo, quod quisque interrogatus dabat, audirent, quod rectæ fidei aut bonis forte moribus adversaretur, id colligerent, animis mentibusque mandarent, atque ad se referrent quamprimum: ea enim tum vigebat consuetudo, ut inter sermones laici etiam homines eisdem de rebus, de quibus in Oratorio agebatur, interrogarentur.

[98] Ergo Dominicani Patres sæpius per hebdomadam ad Oratorium veniebant, totam ipsi rem præsentia cognoscere, totamque inquirere (quamquam alter alterum nesciebat) aggrediuntur: Philippi spiritum, doctrinæ genus, & vitæ institutum expendere decernunt: [& ex missis intelligit bene agi omnia,] ad sermones audiendos cetera cum multitudine confluunt: qui modus disserendi sit, quove sermones tendant diligentissime animadvertunt. Mirari satis Philippi in dicendo vim, ardorem, atque mirabilem securitatem nequibant: illitteratus enim ille (quæ erat sui despicientia) apparere

studebat; nihilominus ad singula, quæ examinanda proponebantur, ita ubi res exigeret respondebat, ut scopum semper (Dominicanis pene obstupescentibus) attingeret felicissime. Quibus illi commoti, non solum tam bene de Oratorio nostro, deque Philippi pietate ac doctrina, quam unquam antea sensere; verum Pontifici etiam sana cuncta se reperisse narrarunt, sicque adjuvante Domino tota res brevi sine ullo judicii tumultu supressa est, [quod nec Philippum latuit:] atque in pristinum candorem restituta. Ceterum hæc ipsa Philippum præsensisse divinitus, vel ex hoc uno cognosci potest. Nam cum Pontifex apud Principem virum, de Oratorii nostri instituto deque Philippi spiritu, præsente nemine, conquereretur; accersito Philippus eo ipso die viro (lectulo enim ille ob ægritudinem detinebatur) aperuit illico, quid ei Pontifex (secreto licet) de se ipso atque de Oratorio nostro narraverat. Verum haud multo post Pontifex, re satis jam comperta atque explorata, Philippum ejusque alumnos præcipuo quoad vixit amore studioque complexus est. Illud nec prætoribo, quod observarunt nonnulli, Deum de Philippi insectatoribus pœnas sumpsisse. Ejus rei plura extant exempla, sed, ne quemquam offendam, ea missa facio.

[99] Eodem anno millesimo quingentesimo septuagesimo, Joannes Angelus Cribellius, cum ad Philippum de more, [qui uni e suis mortem prædicit,] animo confitendi de peccatis suis, feria quinta sanctioris hebdomadæ, sanus corpore viribusque potens, accessisset; vix ad ejus se pedes prostraverat, cum ille hominem intentis oculis intuitus: Paratus sis, ei dicere mox cœpit, virili præsentique animo, ne quidquam vereare, sed confortetur cor tuum: Deus quippe nescio quid sibi ad gloriam suam a te deposcit. Cui Joannes Angelus; Nihil nunc, inquit, timeo Pater; ad omnem eventum paratus sum; faxit de servo suo Deus quod ei libitum est; ad ejus arbitrium vitam institui meam, ejusque totus sum. Tum

Philippus, Quid si, ait, velit Dominus maxima premaris tribulatione? Ita me, respondit ille confestim, ad eum conformo, ut perpetuo voluntatem ipsius cupiditati meæ antelaturus sim. Hic Philippus: Cura, ut te pro viribus pares ad eam rem, gravem quidem, quæ tibi Dei permissu acciderit, æquo libentique animo perferendam. Rediit Joannes Angelus paulo post domum optima valetudine; sed deficiente die tantus mox improviso morbus eum oppressit, ut quarto die attulerit mortem: quam ille hilari fronte, Sacramentis Ecclesiæ munitus, amplexus est.

[100] Diligenter examinabat Philippus quæ ab iis, qui pro energumenis habebantur, [& energumenam liberat.] fieri cernebat; nec facile inducebatur ad credendum quemquam dæmonio vexari. Hinc quæ ejus rei fidem facere poterant, ad naturalia ferme principia referebat, utpote ad naturales ex atra bile morbos, ad uteri affectus, aut certe cerebri decrementum. His igitur de causis raro admodum energumenis adjurandis, nisi necessitate compulsus, navabat operam: illud vero sapienter discipulos monebat, sibi ipsis caverent, ne energumenas feminas, nisi adstantibus multis, adjurare præsumerent. Eodem ut arbitror anno, Atella Romam venerat mulier quædam nobilis, Catharina, ab immundis spiritibus occupata. Hæc quamquam litteras non didicerat, Latine tamen perbene pureque loquebatur; Latine interrogata, Latine pariter respondebat. Crederes eam, quæ nec scholas frequentaverat, nec magistros ullos habuerat, humanioribus litteris Latinoque sermone scite eruditam excultamque esse: tantum præterea animi tantum roboris habebat, ut vix a quatuor robustis viris allevari, teneri, sistique posset, dæmone ipso feminæ, natura imbecilli ac debili, vires suggerente. Adducitur itaque ad Philippum: qui eam o exorcizare aggressus, non prius precationibus pugnare destitit, quam ab ipsa diabolum expulerit. Quodam autem die beato viro Catharinam ferreis

catenulis immisericorditer verberante, dæmon alta voce clamare cœpit, Cæde jam, cæde, percute, occide: quæ verba identidem repetebat. Mirum videre erat feminam, toto eo temporis spatio quo a Philippo vapulavit, nunquam se loco ne tantillum quidem movere, sed marmoreæ statuæ instar manere immobilem, loco semper hærentem. Illud sane nec reticebo: vix præsentiebat se a propinquis ad Philippum evocari, cum eorum conspectum declinandi cupida (ut quæ vereretur ne exorcismis de more ab eo urgeretur) nunc hoc loco, nunc illo occultabat se velocissime. Quod si res ei ex sententia non succedebat, ingentibus ædem clamoribus implebat, venire cunctabatur, rapere opus erat: Philippo, summa vi obluctans, vix a quatuor viris sistebatur. Hæc cum ille cerneret, ut erat ejus miseratione commotus, ipsam tantisper & verberibus cæcidit, & exorcismis adjuravit, dum nequissimos ab ea spiritus fugarit divinitus. Hic ne illud quidem prætermittam. Cum quodam die ea ipsa, de qua diximus, Catharina, Philippi jussu, flagellis cæsa esset; insequenti nocte eidem Philippo, suo clauso cubiculo, apparuit satan: qui minacibus oculis illum intuitus in has prorupit voces: Heus, heus, bone vir, hodie pro tuæ voluntatis arbitrio auctorirati meæ illusisti; at ego injuriarum non obliviscar. Et his dictis confestim evanuit.

## CAPUT IX.
## Res gestæ ab anno 1571 ad 1576 inclusive.

### A. Æt. 56.

[101] Christi anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Joannes Animuccius, magna animi tranquillitate, supremum diem Philippo præsente explevit. [Rara virtus Ioannis Animuccii,] Fuit is de ejus discipulis unus, vir admodum pius, qui plus quindecim annos Lucretiæ conjugis, pari religione feminæ, amplexibus abstinuerat:

quibus expletis, perfectioris vitæ desiderio stimulante, quod suapte sponte faciebat, voto agere quinquennium ante obitum voluntate uxoris decrevit: cujus illa facinus post imitata, idem Deo votum lætissima nuncupavit, felicissimeque ad ultimum diem servavit. Acta sunt hæc beati Patris permissu, qui in his concedendis, quod hujus vitæ pericula dæmonisque laqueos atque in bonos invidiam nosset, difficillimum se præbebat. Venerat quidam, cui Alphonso nomen fuit, anno hujus seculi septuagesimo quarto, V Idus Januarias, ad nostrum Oratorium, ut sermonibus interesset. Huic diei hora tertia & vigesima domum redeunti, in ipso S. Hieronymi ambulacro obtulit sese videndum Animuccius, quem vita functum narravi; atque quasi viveret, quid in Oratorio fieret, ex eo quærit. Cui ille, Jam cantatum est, ait: sermonibus enim finem fecere Patres. Tu vero visne, pergit dicere, Philippum adire? Non possum, respondit defunctus: ejus preces petitum veni: tu itaque, si qua est mei miseratio, age cum eo, ut indigenti opem ferat. [& uxoris Lucretiæ.] Quibus dictis ex oculis abiit. Sed hic me locus impellit, ut de pia femina Lucretia, Animuccii de quo dixi uxore, & Philippi spiritali filia, scribam aliquid. Huic ille, ut haberet stimulos ad fundendas preces, certam præscribit horam, quam ipsis nocturno tempore tribueret; illud simul adjiciens; ni ad constitutam horam e strato exiliat, ab eo se evocandam fore omnino. Sed cum femina somno evicta præscripto tempore haudquaquam surgeret, Philippi vocem, qui procul inde aberat, in ipso silentio audiebat; quæ orationem præciperet, eamque ad precandum excitaret. Eadem multos jam dies non surgebat e lecto: morbus febris erat. Huic itaque quodam die mandat Philippus, ut postridie ejus diei ad templum S. Hieronymi sine cunctatione Sacrum auditum pergat. Mira dictu res! Insequenti nocte sanam se esse viribusque valentem animadvertit; exilit e lectulo, ad ecclesiam venit, rei sacræ interest, domum incolumis repetit, Philippi virtutem prædicat, vitam ad multos annos

producit. Eidem demum inter confitendum prædixit mane Philippus gravissimos intemperantiæ stimulos, quos illa proxima nocte dæmonis opera sustinuerat.

## A. Æt. 57.

[102] Eodem hujus seculi anno septuagesimo primo, Congregationi Deo vocante nomina dant; [Philippus novos socios adsciscit,] seque nostris aggregant, Thomas Bozzius Eugubinus, cujus multa extant opera in lucem edita; alter Nicolaus Gilius Trecensis, vir is fuit egregie pius, atque in casibus conscientiæ versatissimus; tertius Antonius Talpa Septempedanus, Juris civilis peritus. Præter hos accesserat superiore anno ad nostros Antonius Sala Bononiensis. Anno a Virginis partu millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Martio ineunte, Cæsar Baronius periculose ex febri laborare cœperat. Ea febris vis fuit, ut die undecimo desperata a peritissimis medicis salute, ad exitum sine ulla humani spe remedii properaret. Id ubi Philippus animadvertit, [servat Baronium moribundum,] sese ad orandum pro ejus valetudine dat, nec irritus; preces enim suas auditas esse sensit: idipsum & Baronius certo hoc indicio didicit. Eo ipso tempore, quo Philippus divinam precabatur clementiam, jucundissimo confestim somno corripitur. In somnis sibi videre videbatur eumdem beatum virum, prope Christum stantem, ad Christi dexteram sanctissimam Virginem candenti amictu, posteaque Philippum obnixe Dominum rogantem audire: Serva Cæsarem: Cæsarem pristinæ restitue valetudini: Cæsarem incolumem volo: supplicanti mihi Cæsarem redde. Et hæc quidem verba, qua erat in Deum fiducia, identidem alterius S. Moysis instar repetebat. Interea cum sic diutius cum Domino, [intercedente apud filium Deipara,] ut novus Jacob, luctaretur, nec quidquam impetraret; videbatur sibi illum ipsum cernere, qui ad sanctissimam Dei Matrem versucum ea suppliciter

ageret, ut quod ex se consequi non posset, per eam omnino assequeretur; ejusque petitioni Virginem annuere, rogareque illico impense Filium, ut quod ille peteret concedere non gravaretur; eumque tamdiu exorare, quoad Philippus voti compos efficeretur. Hæc itaque dum fierent, moribundus somno experrectus, & cælesti indicio lætus, melius habere cœpit; eoque ipso die suam in tuto vitam, medicis admirantibus idque miraculo dantibus, collocavit; brevique post omni penitus ægrotatione corporis liberatur: quibus profecto rebus, haud vanum fuisse visum, ostensum est. Vivit is hodie universo orbi notissimus, haud immemor cujus ope & valetudini & vitæ restitutus sit.

[103] Eodem ferme tempore quidam Ambrosius gravissime ægrotare cœperat, [& alium ægrum imperio:] & morbo indies invalescente eo tandem venerat, ut viribus jam pene omnibus destitutus, nullam in partem nisi aliena ope adjutus movere se posset, allevatumque ubi opus erat super lectulum quatuor vix homines sustinerent. Id cum Philippus audit, ei illico his verbis jubet: Ambrosi, surge quantocius. Vix hæc dixerat, cum æger, omnibus qui aderant stupentibus, miraculumque iterum ac sæpius inclamantibus, nullius ope allevat se, allevatusque nullis adminiculis stat: & brevi post, ejusdem Philippi precationibus, ad integram restitutus est valetudinem. Sed abeamus ab his, & veniamus ad res a Philippo gestas Gregorio XIII, S. Pii V successore: qui Pontifex renuntiatius fuit III Idus Majas anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo; sedit annos duodecim, menses decem, dies octo viginti.

## A. Æt. 58.

[104] Juvenis quidam Mutius, beati Patris consilia sequi decernens, eidem peccata sua confiteri cœpit, anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo,

mense Octobri: sed, [confitenti occultata peccata indicat,] ut inconstantes sunt mortalium animi, non multo post rediit ad eam dementiam, de qua videbatur dejectus. In impudicitiam enim anno insequenti Februario mense ineunte lapsus, vulnus medico aperire erubescebat; aliisque delictis Confessione patefactis, hoc unum silentio prœteribat. Id autem ubi divinitus beatus Pater praesentit, juvenem monet, ut integram faciat peccatorum Confessionem, dæmonemque confundat. Sed cum clausas ille haberet aures ad voces cohortantis, in eoque perseveraret quod delictum aperire nollet; subjecit illico Philippus, Tu non omnia mihi delicta narras, quod faciens maximo te astringis scelere: quœque ille crimina perpetrarat, omnia ad unum aperuit. Hœc, & hœc delicta, dicens, sponte prœ verecundia silentio involvisti. Vix ejus flagitia enarraverat, quœ prœter Mutium sciebat nemo, cum juvenis, stupore simul ac verecundia commotus delictum confitetur, Confessionemque omnium a pueritia peccatorum repetit, multasque profundit lacrymas pœnitentiœ testes: is demum in patriam reversus, viam qua itur ad Christum, sequi non destitit. Illud prœterea permultis sœpissime contigit, ut vix confitendi studio ad beati Patris genua procubuerint, cum is confestim quœ quisque delicta commiserit, quas tentationes sustinuerit, in quasve cogitationes inciderit, apertissime indicaret, quœ res maximam illis admirationem movebat. Sub idem tempus unus ex ejus filiis spiritualibus, qui adhuc vivit, ex sarcocele (vulgo herniam carnosam dicimus) laborabat. [œgro salute reddit.] Is cum diu remedia de medicorum consilio ad morbum adhibuisset quamplurima, desperatis tandem medentium auxiliis, in quibus nihil opis esse experientia didicerat, ad Philippi opem confugit, eique morbi genus exponit. His Philippus auditis in hœc verba respondit: Bonum animum habeas, brevi convalesces: quod & factum est, nullo in posterum remedio ad morbum ahdibito.

[105] Interea temporis, dum Oratorium & numero in singulos dies augebatur & fructu, [Oratorio in ædes Florentinorum translato,] construunt Florentini suis sumptibus ad ripam Tiberis, ad majorem nostrorum commoditatem, egregium sane opus; ubi sermones fieri cœpti sunt, non minore populi frequentia nec fructu, anno hujus seculi septuagesimo quarto, XVII Kalendas Majas, qui dies eo tempore in quintam hebdomadæ feriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi celebris inciderat. Eo ipso anno ad nostros sese aggregant Fabricius Mediobarbus, Politonii, viri divini humanique juris peritissimi filius, qui tertio decimo post anno ab ingressu obiit; & Pompejus Paterius, civis Papiensis, [futura prædicit,] Sacerdos. Eodem anno cum Joannes Baptista Altovitus adeo graviter æger esset, ut de eo actum esse medici proclamassent, oravit pro eo Philippus. Supplicatione completa, evocato ad se confestim Francisco Mariæ Taurusio jubet, ut ægro suo nomine nuntiet, eum haudquaquam ex præsenti morbo moriturum; quin potius mane (tum enim vesper erat) melius habiturum. Extitit dicto fides, quandoquidem id uti prædixerat, obtigit. Hoc item anno IX Kalendis Aprilis, cum Lavinia, e prima nobilitate femina, Fabricii Maximi uxor, ventrem ferret; mentione de ea Philippo præsente illata, pro certo is affirmavit illam virilem prolem edituram: & hæc effatus, ad ejus qui aderat virum conversus; Uxor tua, inquit, filium pariet, quem Petri nomine appelles volo: nec aliter evenit, Aprili enim mense infantem effudit; qui matri superstes duorum jam filiorum pater effectus est.

## A. Æt. 60

[106] [moribundam sanat.] Eo ipso anno, Aprili mense aut certe Majo, mulier primaria Constantia Crescentia, cum effuso fœtu ad ultimum venisset vitæ discrimen, variis gravibusque symptomatibus oppressa; secum ipsa animo

agitare cœpit, nullum sibi remedium ad morbum repellendum præter unum Philippum reliquum esse: videbatur enim sibi, si ille, de quo multa auditione acceperat, quamquam hominis faciem non nosset, pro ea precationibus institisset, discussum iri morbum omnino. Ergo accersitur; qui manibus mox ægræ impositis, preces Deo pro ejus salute fundit: quo attactu ingenti femina lætitia perfunditur, majoreque spe teneri cœpit se tanti viri precibus in pristinam sanitatem restituendam fore. Nec irrita; invisens eam iterum Philippus, rogat, velitne ad se venire ad ecclesiam S. Hieronymi: annuit illa, utpote quæ diceret, nihil esse quod faceret æque lubens. Tum ille: Bono animo esto, nihil, mihi crede, est quod vereare, venies ad me ad S. Hieronymi. Nec falsa prædictio; mulier enim brevi contra omnium opinionem pristinæ valetudini reddita est; Philippo, qui eo tempore ædes S. Hieronymi incolebat, ad Confessiones perpetuo usa. Anno insequenti Januario mense, [iterum aliam.] contraxerat Anges Columna, femina æque præstantissima nobilissimaque, ex abortu adversam valetudinem: cumque indies deterius haberet, jam non longe, ut fama erat, a mortis periculo aberat. Eam itaque, ita graviter ægrotantem, atque a medicis mali magnitudine derelictam, invisit Philippus, eique spem salutis ostendit. Desine, dicens, Agnes, vereri, timorem curamque omnem depone: ex hoc morbo evades. Nec verba in vanum jacta: mulier, desperata licet valetudine, præter omnium spem pristinæ sanitati restituitur, vixitque ad annum usque septuagesimum octavum, quo VI Kalendas Majas supremum vitæ diem clausit.

[107] Cum pusilli hujus gregis fructus uberrimi indies conspicerentur, cogitari a nostris cœptum est, ut alienis domibus relictis proprias aliquando sibi sedes acquirerent, quibus opus Dei, [Vallicellensi parochiam impetrat,] ad successores ejusdem spiritus vitæque rationis heredes, transmitteretur: nempe qui eadem

exequentes munia, Deo primum gratum hominibusque deinde proficuum obsequium perpetuo exhiberent. Cumque ea de re creberrimi inter eos haberentur sermones, ne suum potius quam Dei proximorumque negotium agerent, de confirmanda stabiliendaque Congregatione deliberant. Verum Philippus, ne tanta in re quidpiam ex propria sententia statuisse videretur, totum negotium Deo assiduis precibus commendabat: id ipsum faciebant alii: cumque diutius precationibus institum esset, venit tandem illis in mentem parochialis ecclesia B. Mariæ a Vallicella, Regionis Pontis seu Parionis, in umbilico Urbis sita. Erat ejus ecclesiæ Rector Antoninus quidam Adjutus, id viro cognomen, Presbyter Messanensis: is rogatus a Patribus, an, fructibus sibi quoad viveret reservatis; ecclesiam illam dimitteret, consensit; consensuque habito, ejus officii procurationem Philippus Taurusio mandat. Hic suscepta mox provincia Pontificem adit, eique vota studiaque Philippi & alumnorum exponit. [& confirmatæ Congregatione Breve.] Nec sua eum frustrata spes: Gregorius enim, qua erat in Deum pietate, cum Philippum probe nosset, multaque tum ex Taurusio tum ex aliis de Congregationis instituto didicisset, non modo ecclesiam concessit, sed Congregationis etiam erectionem confirmationemque (utrumque enim petebatur) Apostolica auctoritate indulsit; ad eam quippe diem nulla erat Apostolica auctoritate sancita Congregatio. Harum rerum extant litteræ Apostolicæ, verbis amplissimis hoc ipso anno datæ, Idibus Juliis.

[108] Eodem anno sexto Kalendas Augustas, mulier Olympia, cui Troianæ cognomen erat, [Iuvat parturientes,] cum duos jam dies periclitaretur difficultate partus (fœtum enim effundere non poterat) parum abfuit quin vitæ extremum diem morte conficeret. Interea temporis, dum pro mortua lugebatur a suis, venit ei in mentem Philippus. Qua ex re in spem salutis

ingressa, circumsistentes feminas etiam atque etiam rogat, eum ad se quam mox adduci curent. Accersitus itaque ille, quæ ejus erat in omnes caritas, venire non recusat; preces fundit, moribundæ manus admovet. Quibus peractis, veluti sensisset auditas preces, se illinc repente subducit. Mirum dictu! Vix e cubiculo abierat, cum Olympia viventem extemplo puellam, ipsa salva præsentique exempta periculo, effudit. Constatalias item feminas, partus difficultate jam deploratas, precibus ejusdem, seu reliquiaria theca quam ille habebat admota, incolumes facili felicique partu fœtus enixas esse.

[109] Verum cum angustum esset templum vetustateque ruinosum, visum est Patribus, [novam ecclesiam condi jubet,] quod erat in loco optimo Urbisque commodissimo, & ad Congregationis functiones valde idoneo, utcumque restaurandum; neque enim novum, etsi id maxime cupiebant, privatæ rei angustiis impediti, condere poterant. Ergo ea in deliberatione cum essent, eorum piis optatis votisque respondit divina benignitas. Vix enim operi manus admoveri cœptæ sunt, cum Philippus, solius Dei fiducia armatus (pecunia enim Patribus vel nulla erat, vel certe admodum tenuis) de eo primum funditus evertendo, ac deinde ampliore augustioreque forma a fundamentis extruendo, cogitare occepit. Neque hic stetit res: quod enim faciundum cogitarat, id confestim, de divina providentia securus, ad effectum perducere statuit: ea enim ille in omni vita sua nixus, nihil arduum nihilque nimis amplum ducens, immensa quadam magnitudine animi maxima quæque aggredi non verebatur. Interea ruinosa ecclesia, Philippo jubente, [fundamento fodiendo locum notat,] solo æquata, Matthæus Castellanus, nobilis nostro seculo Architectus, mense Septembri accersitur: qui omnibus diligentissime circumspectis jam construendi ædificii latitudinem signabat, cum Germanicus Fidelis Philippum ea de re certiorem fecit. Qui illico Sacerdoti

jubet (quippe qui paratus erat ad Sacrificium) ne quidquam, priusquam eo ipse accederet, decerneretur. Absoluto Sacrificio recta ad locum contendit: ibi Matthæum comperit: qui cum eam partem, in qua judicio suo effodienda forent fundamenta, designaret, ejus ille sententiam non approbavit; quippe qui ultra producendum esse ædificium diceret. Cumque ventum esset ad locum, quem illi indicaverat Deus; [successu mirabili;] Hic fodiatur, ait: hic jaciantur fundamenta. Quod cum ageretur, ecce tibi solidus paries pervetustus, qui sub ruderibus latebat, palam fit. Erat is ad decem palmoslatus, totque pedes longus, ut constructi jam ædificii molem non expleat modo, verum excedat etiam; super quo pariete quod reliquum erat operis dextri lateris ecclesiæ extructum fuit: pro alterius vero structura fundamenta jacere opus fuit; in quibus cum primus de more esset ponendus lapis, maxima ceremonia & frequentia gesta res est. Porro primum hunc lapidem, ritu solenni consecratum, in fundamenta conjecit Alexander Medices Florentiæ Archiepiscopus, cui Congregatio nostra plurimum debet, nunc S. R. E. in Titulo S. Mariæ Transtyberim presbyter Cardinalis.

[110] Cum templum extrueretur, numquam Patribus argentum defuit, [& abundante semper ad opus pecunia,] neque ad satisfaciendum fabris aliisque operariis, neque ad domos contiguas coëmendas. In ædificium sumptus amplissimi ac quotidiani fiebant: ejus pecuniæ summa (demptis nummis, quos Petrus Donatus Cæsius Cardinalis, ut suo loco dicturi sumus, fabricæ attribuit) pergrandis ad septuaginta circiter aureorum millia. Fervebat opus, optimi Principis ac nonnullorum civium beneficio: quorum tantus fuit erga beatum Patrem amor tantaque in Deum pietas, ut rem ultro eleemosynis adjuverint. Gregorius in primis spontanea liberalitate ad septem millia aureorum in id ædificium insumpsit. Ergo templi ædificatio numquam intermissa, cum numquam Patribus pecunia

deesset, Deo illam semper abunde suppeditante. Brevi tempore, [feliciter absolvit,] nempe intra biennium vel circiter, in eam prope qua hodie cernitur formam & amplitudinem, opere sumptuque magnificam, felicissime crevit; Templumque, sanctissimæ Virginis & B. Gregorii Papæ nomine, dicatur Deo. Hic non prætermittam quæ in hujusce sacræ ædis extructione acciderunt Patribus. Quidam ex vicinis, cum ferre non possent nostros apud eos ecclesiam construere, o dæmone instigante ita furere cœperunt, ut simul Joannem Antonium Lucium Sacerdotem fabricæ præfectum, simul fenestras templi lapidibus ac balistis petere ausi sint: sed Deo Sacerdotem protegente, nihil ex his mali Lucius passus est: quam ille rem beati Patris orationibus acceptam referebat. Fratres aliquot, [punitis obsistentibus,] quorum nomina consulto reticeo, cum ædificationem ecclesiæ impedire niterentur, intra duos annos, Philippo silente ac pro eis diu orante, molestiæ pœnas dedere: mortui enim sunt omnes, divinum agnoscentes judicium, ne uno quidem ex eis ad sobolem propagandam relicto. Præter hos alii etiam Patribus molestias addidere: sed cum, ut in sacris codicibus legimus, diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, tantum abest ut hominum injuria Patribus obfuerit, ut maxime profuerit. [Rom. 8,28]

[111] Hoc eodem anno, Octobri mense, vocavit Deus ad præmium Laviniam, primariam feminam, [mortuæ salutem cognoscit.] Fabricii Maximi uxorem, de qua non abs re erit (ut quæ Philippo ad Confessiones utebatur) aliquid in hanc historiam referre. Ea itaque, etsi hominem initio irridebat, tamen ubi de divinis rebus disserentem audivit, adeo Dei colendi desiderio incendi se sensit, ut ipso magistro ad eum venerit vitæ statum, ut se totam Christi amore pietatis operibus suique ipsius contemptui dediderit. Eidem contingere affirmabat Philippus, ut inter meditationes rerum divinarum, quibus multum impendebat temporis, abstraheretur a sensu mentis. Hæc

denique tertio Kalendis Novembris, diem obiit extremum, cui suprema hora, eo ipso Philippo auctore, fuerat ad cælum via, ubi Beati sempiterno ævo fruuntur. Eo ipso anno septuagesimo quinto Congregationi se addicunt Julius Saviolus Patavinus, & Franciscus Bozzius Eugubinus, Thomæ Bozzii germanus; ille IV Nonas Aprilis, hic Kalendis Novembris.

## A. Æt. 61, Chr. 1574

[112] Insequenti anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto illud inter ædificandum accidit, silentio non involuendum. Veteri ecclesia aliisque domibus ad novæ fabricæ amplitudinem dirutis, [de tecto ruituro per visum monetur,] vix ædicula reliqua fuerat, ceteris solo æquatis tecto cooperta; cum ecce tibi quodam die vocari ad se confestim jussit Philippus Joannem Antonium Fabricæ præfectum, eique mox venienti imperat, ut ædiculæ tectum demoliri faciat quam primum; Quippe, inquit, superiore nocte sanctissimam Dei Matrem ab se visam esse, quæ suis illud manibus sustentaret. Erat is locus pro sacello, ubi Sacrum agebatur, Sacramenta populo ministrabantur: veteri enim ecclesiæ animarum cura annexa erat. Tum Joannes Antonius, domum reversus, fabris, id tectum ut demoliantur, imperat; qui manibus rei admotis, tignum vident, cui superponebatur, retinente nemine stare: altera enim ex extremis ejus partibus, quod tigni caput appellant, tota extra murum erat: qua ex re qui aderant stupore afficiuntur. Eodem hujus seculi anno septuagesimo sexto, [ægrum adolescentem sanat.] Joannes Baptista Crescius adeo vehementer assiduis capitis doloribus ac febri conflictabatur, ut clamores & gemitus dies noctesque miserabilem in modum ederet. Cumque eo cruciatu plurimos jam dies exarsisset, nec ullam quietis partem caperet; impetu tandem doloris evicto, veniebat sæpius in mentem, ut ad miserias

finiendas semet in puteum præcipitem daret. Interea, omnibus jam rebus frustra tentatis, occurrit ili remedium, nec sane spernendum, ut Philippum accerseret: haud dubia enim spe erat, ejus preces salubres sibi futuras. Visit illum Philippus, manibusque ejus capiti impositis in has prorupit voces; Peccata fuge, sanctissimam Dei Matrem magno pietatis affectu venerare: nihil est quo timeas, etenim non hic ad mortem te morbus dabit, sed brevi convalesces. Quæ dum diceret, æger confestim habere melius cœpit, dolore capitis ex toto eximitur, quietem capit, brevique post e lectulo incolumis exilit.

[113] [Prephetico spiritu prævertit juvenem,] Eodem anno Hieronymo, Beier cognomento, e Prædicatorum familia, tum adolescentulo, eam improviso mentem Deus submiserat, ut de sancti Dominici amplectendo instituto avidissime cogitare cœperit: id porro desiderium eo hominem brevi adduxit, ut illa ipsa die ad ecclesiam S. Mariæ supra Minervam se contulerit, ea mente, ut quod secum ipse agitarat, Novitiorum Præfecto (is erat Fr. Petrus Martyr) aperiret. Hic ille, quamdudum, ex eo quærit, isthuc aggredi in animo habuerit: Hac ipsa die, inquit Hieronymus, occulto quodam instinctu ad id acriter impelli me sensi. Tum Fr. Petrus, qui edito jam signo paratus erat, Novitiis eum sequentibus ad funus; Philippumne cognoscat, rogat; ex eo enim, quid sibi hac in re faciendum, facili prorsus negotio discere posse, affirmat: eum itaque ad illum nomine mittit: quem ut Philippus vidit, parum ut maneat, [petendi consilii causa ad se missum:] quod paucis eum vellet, rogitat. Nec multo deinde post, priusquam adolescens verbum ullum faceret, Novi ego, dicere ille cœpit, quid velis: missus es a Fr. Petro, ut mihi primum aperias, hac ipsa die venisse tibi in mentem, ut relicto mox seculo institutum S. Dominici amplectaris; & ego deinde tibi, si id ex Deo cogitatum sit, an non, indicem. Fac quod in animo habes, Deoque gratias age, qui ad se hac te evocat via. Hæc ubi ille

audit, ingenti stupore perculsus attonitoque similis, Vera enuntias Pater, dicebat: nec aliud unquam verbum proferre potuit. Reversusque deinde ad Fr. Petrum, qui tum a funere domum redierat, ei, quid sibi Philippus enuntiaverat, indicat; contigisseque sibi ut olim Samaritanæ, quippe qui hominem, qui cordis sui secreta consilia nosset, repererat. Amplectitur illico juvenem hisce auditis Novitiorum Præfectus, eumque sacro Religionis habitu brevi donandum fore pollicetur, & simul adjungit; ideo illum ad Philippum misisse, quod noverat quæ esset ejus vitæ sanctitas, quæve spiritualium rerum notitia. Incidit ea res in XV kalendas Novembris. Induit Frater Hieronimus vestem Religiosorum die S. Martino Episcopo sacra, anno eodem: vivit adhuc, Concionatorisque officio fungitur. [eodem suos subducit pesti,]

[114] Eo ipso anno erant Mediolani ex Philippi alumnis Sacerdotes quatuor, nempe Alexander Fidelis, Nicolaus Gilius, Pompeius Paterius, & Petrus Perrachionus: hi cum proximorum saluti procurandæ operam darent, vix in vinea Domini laborare cœperant, cum derepente Philippi litteris Romam evocantur; Philippus enim, ubi Patres Mediolanum pervenerant, Francisco Mariæ Taurusio mandat, ut litteras quamprimum ad eos scribat, quibus illi lectis Romam confestim sine cunctatione remigrent. Sed cum id jussum durum Taurusio videretur, quod gravem multis offensionem tam repentinum eorum Sacerdotum discessum allaturum esse putaret; hæc iterum ab eo audit: Ut tuum est mandatis meis parere, ita illorum omnibus mihi in rebus sine cunctatione obsequi; sic itaque mihi dicto audientes sint, ut simul atque velim accurrant. Mira dicturus sum. Vix litteræ in eorum manus venere, [Mediolano imminenti.] cum pestilentia atrox, cujus ante id tempus nulla prorsus indicia erant, repentino coorta, velut cælum involvens nebula, totam eam urbem occupavit, magnasque strages incolarum edidit: illi vero,

Philippi litteris eo periculo exempti, Romam læti redierunt.

## CAPUT X.
## Annus Christi 1577 & quinque consequentes.

### A. Æt. 62.

[115] Anno hujus seculi septuagesimo septimo ineunte, Philippus in morbum incidit, nulla, aut exigua spe curationis. Nocte quadam, cum quieti corpus tradere nulla ratione posset, datis per Urbem ad Matutinas laudes recitandas signis, rogavit enixius Eucharistiam sibi dari. Id autem ubi Francisco Mariæ Taurusio nuntiatum esset, ei præbere negavit: verebatur enim ne sacra sumpta Eucharistia, lacrymarum orationisque vis eum spe somni capiendi privaret, certissimo cum valetudinis periculo. Interea Philippus, id quod erat subodoratus, Franciscum Mariam accersit; eique se, [Ægro Philippo Eucharistia somnum conciliat.] ob corporis Christi percipiendi desiderium, somnum capere non posse aperit; illud subjiciens, si voti compos efficiatur, cum sanctissimo Sacramento se quietem capturum; ut factum est. Eo namque hausto, confestim, uti prædixerat, quievit somnusque accessit. Hinc itaque usuvenit, ut quotiescunque morbo urgeretur, cælesti Pane, qui solus explet hominum desideria, singulis quibusque diebus pasceretur: quo sumpto, placidissimus mox somnus eum amplectebatur. Desiderio denique hujus Sacramenti illud fiebat, quod ei ex longinquitate gravissimi morbi nondum plane recreato, vires suppeterent ad Sacrum in templo faciendum, quod admirationem adstantibus excitabat.

[116] In nova ecclesia celebrari cæptum est eodem anno, III Nonas Februarii. [Translato in Vallicellam Oratorio] Sacrum solenne primus fecit Alexander Medices, Florentiæ Archiepiscopus, idque illustriore quam unquam

antea ceremonia ac pompa, jucundioreque cantorum symphonia factum est. Verum Gregorius, quo res majore populi frequentia fieret, amplissimam Indulgentiam iis omnibus concessit, qui sacra Confessione expiati & suavissimo Christi corpore pasti Missæ sacrificio interessent, aut ecclesiam eo die visitarent. Cernere erat templum, aulæis undique stratum, magna virorum mulierumque frequentia celebrari; lætitia cantibusque plena omnia. A prandio eodem concentu, eodem operante Antistite, Vesperæ inchoantur. Templum cum mane, tum vesperi, ac deinceps frequentem habuit turbam; neque defuerunt ex exteris, qui per occasionem tam amplæ Indulgentiæ adipiscendæ, ad salutarem Eucharistiæ mensam, peracta prius peccatorum Confessione, accesserint. [plures aggregantur.] Neque vero postea alacritas populi studiumque deferbuit, neque pius animorum calor refriguit, sed magis indies invaluit, hodieque mirifice accrescit. Eo ipso anno, mense Aprili, sermones de rebus piis a Patribus apud Vallicellam haberi cœpti sunt, Florentinorum Oratorio relicto. Interim cum novæ Congregationis fama, suavisque odor instituti operis manaret quotidie latius; multi, Deo inserviendi cupidine incensi, ad Patres nostros eo consilio venire cœperunt, ut in eorum ædibus ad pietatem instituerentur. Accedebant quidem multi, sed non omnes admittebantur. In his, qui post erectam Congregationem eodem anno septuagesimo septimo sociorum numero adscribi sunt cœpti, fuere Petrus Perrachionus Sacerdos: alter, hujus Historiæ auctor, qui Patribus aggregatus id summo Dei beneficio assecutus est, ut beati Patris nostri administer assiduusque comes esset: tertius, Augustinus Mannus a Cantiano, Juris Civilis ac Pontificii bene peritus. Primus Congregationi se addixit X Kalendas Aprilis, alter Kalendis Julii, postremus mense Octobri.

[117] [Philippus sanat moribundam,] Hoc ipso anno mulier, Ersilia Bucca, in morbum adeo pernicialem

inciderat, ut medici jam de ejus salute penitus desperarent. Tenebatur lectulo sensibus prope omnibus destituta, mors imminens timebatur: cumque res ita sese haberet, rogat Joannes Franciscus Ersiliæ maritus Philippum, eo enim ad Confessiones utebatur, ægram visat. Cujus adventu tantam cepit femina lætitiam, quantam numquam antea se percepisse meminerat; cumulabat vero gaudium, quod Philippum hilari sibi vultu dicentem audiebat; Bono animo sis, futurum brevi est, ut ex hoc morbo evadas. Et hæc cum ille diceret, ægræ eo momento melius fuit; atque vi morbi fugiente, quarto post die, domesticis admirantibus, e lecto surrexit incolumis. Decreverant Patres in exitu hujus anni suptuagesimi septimi mittere Mediolanum, ob negotia Congregationis urgentissima, Pompeium Paterium. [futura prædicit.] Is cum ire nollet, quod se ad ejusmodi obeunda munera haudquaquam idoneum judicaret; ad ultimum, Philippo profectionem urgente, invitus obedientiæ jugo cervicem inflexit. Roma cum discederet; Securus, Pompei, dixit illi Philippus; spem tuam in divina ope repone; Superiorum jussa consiliaque ne examines; omnia, mihi crede, tibi ex sententia evenient. Prænuntiationem brevi res ipsa comprobavit. Mediolanum ubi venit, rem agere aggressus, maximas etsi difficultates, adversariosque magni nominis multos, minasque potentum perpessus, ut a cœpto desisteret; unius tamen Philippi, cujus verba in memoria habebat, precibus adjutus (in his enim totam Pompejus spem collocarat) omnia, quæ se illi objiciebant, quæcumque ea essent, facili negotio, non sine magna animi sui admiratione superabat; reque ad exitum quem optabat perducta, Romam lætus revertit.

## A. Æt. 63.

[118] Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo ineunte, sensit Philippi auxilium quidam ejus virtutis alumnus, cum magno in metu esset

propter peccati periculum, quod sibi imminere putabat. [Discipulo tentato apparet absens,] Dederat huic Philippus, quod candissimos hominis mores pernoverat, pulchrum aspectu adolescentem in custodia: utrumque idem cubiculum, lectis licet separatis cubarent, capiebat; formidolosus enim adolescens solus esse non audebat. Is interim alumnus, quamquam beati Patris imperio parebat, tamen cum eum dæmonis insidiæ non laterent, magno in timore assidue erat. Ergo cum his angustiis premeretur, statim (res mira auditu) obtulit sese videndum nocte intempesta, qui longe ab eo loco aberat corpore, sanctus Pater: ex cujus visu adventuque alumnus mirabiliter recreatus est: verum Philippus, ut majore illum gaudio repleret, lectulo in quo is jacebat, insedit, quomodoque habeat, rogat. Cui alumnus; Male inquit, mihi est Pater; [eumque carnis stimulo liberat:] multis undique cingor periculis. Tum Philippus, manibus ejus pectori admotis, eoque una cum umbilico signo Crucis consignato, bonum habere animum jubet, quod omnes jam illæ libidinum faces, illique animi ejus timores resederint. Quibus dictis ex oculis abiit. Remansit alumnus, abeunte Philippo, ingenti lætitia perfusus, magnoque lumine illustratus. Haud vanum fuisse visum, rebus postea studioque præcipuo illius virtutis (castitatem dico) ostendit: cujus rei etiam illud esse argumento poterit, quod ex eo tempore tutissime cum adolescente, tamquam cum fratre filioque, erat.

[119] Consimile auxilium sub idem tempus sensit quidam adolescens, [idem alteri præstat,] cujus animum cum impuræ quædam cogitationes subiissent, & ita penitus in ejus animo hærerent infixæ, ut nulla ratione divelli ab eo possent; eoque adductus esset, ut parum abesset, quin turpissime laberetur; cum, in quo plurimum præsidii fore arbitrabatur, beati Patris fidem implorasset; ab omnibus earum curarum stimulis, ubi eum ille suo pectori admovit, liber evasit: neque id solum assecutus est, sed usque eo

divini amoris igne inflammari se sensit, ut si qua ei pars vacua temporis esset, totam precationibus tribueret. Eo ipso anno nostra ecclesia ab jurisdictione Basilicæ S. Laurentii in Damaso, ejusque Titularis & Collegii Canonicorum (Capitulum ipsi appellant) eximitur: [& auget numerum sociorum.] quod item apparet diplomate, eodem anno dato kalendis Septembris. Accesserunt præterea hoc ipso anno ad Congregationem Flaminius Riccius Firmanus, utriusque Juris peritus; Iuvenalis Ancina Fossanensis, Latinis litteris eruditus: is medici arte rejecta, totum se ad Theologiæ studia contulerat. Juvenalem secutus est Joannes Matthæus ejus frater, Juris studiosus. Aggregarunt se itidem Patribus Bernardinus Corona Romanus, Joannes Paulus Curiatius, & Ludovicus Parisius Florentinus. Ceterum intra paucos annos adeo crevit Sociorum numerus, ut homines ad centum triginta, quamquam non omnes confluentes admittebantur, Congregationi sese dediderint; at singulorum nomina ad unum recensere mihi in animo non est.

## Æt. 64 & 65.

[120] Anno hujus seculi octogesimo Aprili ineunte, femina primaria Constantia Crescentia, octavum jam mensem prægnans, iterum mortiferam in febrim incidit, a qua miserrime conficiebatur: accesserant pustulæ seu ecthemata & exanthemata nigra; [morti proximam in vivis servat:] cumque vi morbi non longe abesset ab exitu, sacro Viatico media nocte munitur. Quo peracto, cum Sacerdos paulo post eam, ut extremo Oleo inungeret, accessisset; meditari ægra secum ipsa cœpit, quonam pacto propinquam mortem evaderet. Cogitanti venit illico in mentem, hoc unum his tot periculis sibi remedium fore, ut Philippus pro ejus salute divinam precetur clementiam. Interim albescente die adest beatus Pater, vocatus a nemine: feminam melius habentem, explanate clareque

proloquentem reperit. Illa ut Philippum vidit, Noctem habui, dicere cœpit, plenam timoribus & miseriis, parumque abfuit quin morerer; magno tu mihi desiderio fuisti, a quo sperabam auxilium, quod ne defuit quidem; namque ubi divinam opem, te in animo habens, implorare cœpi, mox tuarum vi precum melius mihi fuit. Tum ille, Quam tu noctem habuisti plenam timoribus, ea ipsa ego tecum perpetuo fui: bonum ergo animum habeas; quandoquidem non modo non morieris, sed brevi plane convalesces. Nec mora: eo ipso momento levius habuit, paucisque interpositis diebus pristinum animi corporisque vigorem, præter spem, cunctis qui ejus morbi conscii erant attonitis, recuperavit.

[121] [unius e suis defectionem prædicit,] Juvenis quidam non ignobilis, ad prælia Domini apud nostros prælianda evocari se sentiens, institutum nostræ Congregationis amplecti statuit; Congregationi adscriptus ita omnibus in rebus gerere se cœpit, ut omnes de eo optima sperarent. Is beati Patris percupidus erga propinquos affectionem vicisse videbatur, ut ne minimum quidem de illis cogitare crederes: sed, ut contingere quandoque solet, morbo correptus, pietatis studio intentus, vique morbi perterritus, in animum induxit, cæli mutandi gratia, quo facilius in statum valetudinis pristinum restitueretur, patrium solum repetere. Comitem itineris unum e Congregatione elegit adversa jam pridem valetudine, eo vel maxime consilio, ut ille dicebat, quo cæli mutatione curaretur. Adolescentis consilium beatus Pater, quod sinistrum ejus eventum animo præsagiret, non approbat; licentiam ergo ille, quam flagitabat, ab invito & repugnante, non magis impetravit quam extorsit. Die, qui profectionem anteibat, unum e suis advocans: Memoria tene, inquit: recedent duo, redibit unus: Juvenis, suorum amore captus, ad ædes nostras non remigrabit. Quibus Sacerdos auditis obstupuit: nec in irritum Philippi verba

ceciderunt: res enim ita prorsus evenit, ut prædixerat. Incidit id in annum hujus seculi octogesimum.

## A. Æt. 66.

[122] Insequenti anno octogesimo primo, vir nobilis Carolus Mazzeus, [Pellitur ejus nomine dæmon,] Philippi discipulus, confecta ætate, ex gravi morbo proxime ad mortem accesserat: ea vero nocte, quæ ipsum Christo conjunxit, cum conscientiam suam diligenter excuteret, seque ad pie moriendum præpararet, cœpit a diabolo, beato Patre longe posito, accerrime impugnari. Objiciebat ei dæmon multa, cui nihil aliud Christi miles respondebat, nisi, Philippum appello, appello Philippum. Quibus verbis ita communem hostem delusit, ut eum a se expulerit, quietoque animo paulo post illa ipsa nocte spiritum Deo reddiderit, XVIII Kalendas Majas. [& moribundus sanatur.] Eodem anno, mense Octobri, Michaelem Mercatum, virum sane eruditissimum, vi gravissimi morbi supremis appropinquantem, in pristinam restituit valetudinem; Petroque, medicæ artis peritissimo, ægri parenti, qui de filii salute penitus desperarat; Non est, dixit, quod timeas: æger enim nequaquam morietur, sed recuperata valetudine vitam ad aliquot annos ducet. Nec vana fuit prædictio: vixdum hæc effatus erat, cum Michael habere melius cœpit: brevique receptis viribus, tamquam a morte revocatus, prorsum convaluit, vitamque plus duodecim annos tenuit: obiit anno hujus seculi nonagesimo tertio, tertio Kalendas Julias.

Æt. 67 & 68.

[123] Interea cum, novis hominibus in Congregationem admissis, vix domus omnes caperet; Petri Donati Cæsii Cardinalis Amplissimi beneficentia factum est, [Novæ ædes coëmuntur;] ut domus domibus adjungerentur: is enim, ad ædes contiguas coëmendas atque absidis aræ

maximæ a fundamentis extructionem, viginti aureorum millia dono dedit. Cujus deinde frater Angelus, Tudertum Episcopus, majorum imitatione & sua etiam sponte Patrum nostrorum studiosissimus, anteriorem templi faciem, Tiburtino lapide atque egregio opere fabrefactam suis sumptibus erigit, cum jam antea peramplum & elegans extruxisset sacellum in abside aræ maximæ, ad cujus ornatum aureos circiter quinque millia & eo plures contulit. Alterum vero absidis sacellum, quod reliquum erat, Alexander Glorierius, Cameræ Apostolicæ Clericus, suis impensis, pretiosis marmoribus sacraque supellectili ornavit. Demum post Philippi obitum Federicus Cardinalis Borromæus, nostri instituti amicissimus, quatuor aureorum millia, in altaris maximi ædificationem insumenda, attribuit.

[124] Addam huc breviter, quod Patribus in emptione domorum, de quibus paulo ante diximus, accidit. Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo, cum de cœnobio monialium S. Elizabetæ, nostris ædibus contiguo (his enim Monialibus alio, Jacobi Sabelli Cardinalis, [& aliæ quas emi Sanctus vetuerat,] tum in urbe Vicarii jussu, migrandum erat) coëmendo cogitarent, utpote qui domus angustia premerentur, qua non nisi ejus cœnobii emptione laxabantur; hanc Patrum deliberationem ubi Philippus audivit, non modo eorum cupidini non annuit, quin restitit potius. Dissolvatur primum, dicebat, æs alienum, quod ad necessariam ecclesiæ ædificationem contractum fuit; quandoquidem non licet ære alieno pressis novum quinque millium circiter aureorum (tanti æstimabatur cœnobium) conflare. Magnam enim Philippus spem habebat fore, ut cœnobium brevi, Deo bene juvante, aliorum impensis in manus suas deveniret. Sed cum Patres nihilominus, humana prudentia ducti, rem ad exitum perducere conarentur, jamque partes unum in locum convenissent; [dissoluto mirabiliter contractu,] aderat Judex (is erat Marius Martius) aderat

scriba, qui nomina testium in tabulas retulerat, jamque ad stipulationem ventum erat; cum Judice derepente syngraphis debitarum pecuniarum non contento (pecuniam enim, non in nominibus, sed in numerato petebat, quod in similibus emptionibus non servatur) re infecta discedunt omnes. Id cum ad beatum Patrem delatum esset, actis primum Deo gratiis; Ii, dixit (de nostris Patribus loquebatur) numquam suo ære cœnobium, ut putant, mercabuntur. Quod & factum est: namque quinque vix abierant menses, [donantur a Cardinali Cæsio.] cum Petrus Donatus Cæsius Cardinalis, qua erat animi munificentia, illud sua pecunia eodem anno, pridie Idus Julias emit; emptumque Patribus insequenti anno octogesimo secundo, XVIII Kalendas Februarias, sponte dono dedit. Nec id cœnobium modo, sed domum itidem (Arditiorum appellabant) cœnobio proximam, non parvo quidem, eodem anno octogesimo secundo, Idibus Augusti coëmptam pretio, Patribus anno tertio & octogesimo, pridie Kalendas Martias attribuit. Has porro ædes in præsens nostri incolunt: præter quas duas item alias, ad absidis aræ maximæ ædificationem, mercatus est nobis idem Petrus Donatus Cæsius Cardinalis, dans pro ambabus tria millia aureorum. Nec hic finis ejus in Patres munificentiæ; namque ad absidis extructionem octo aureorum millia testamento reliquit: quæ pecuniæ summa etsi tanta non fuit, quanta opus erat, magna tamen ejus fabricæ pars ea extructa est.

## A. Æt. 68.

[125] Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Paulus Maximus, ætatis annorum quatuordecim, [Iuveni jam mortuo Sanctus superveniens,] trimestri circiter tabe diutinoque languore consumptus obierat. Accidit autem ut eo animam agente accerseretur Philippus, qui in Sacro faciendo impeditus venire non potuit; sed absoluto Sacrificio ad moribundum pergens,

Paulum per semihoræ spatium diem obiisse reperit; cujus jam oculos Fabricius pater, ut hominibus vita functis fieri solet, clauserat; & Sacerdos Camillus ejus animam, Christianis mysteriis munitam, solennibus jam precibus Dei Sanctorumque tutelæ commendaverat, nec inde prius abierat, quam moribundum animam halantem vidisset. Neque hæc solum facta sunt; sed & aqua calida ad corpus de more lavandum, & vestes ad illud ipsum vestiendum, quo cadaver ad ecclesiam deferretur, paratæ erant; jamque una ex ancillis Francisca, quæ adhuc vivit, caligas in manibus habebat, quibus nuda membra tegeret. Interim rebus ita se habentibus, venit Philippus; cui Fabricius: Eia, inquit, Pater, obiit Paulus: jam non est quod agas. Tum ille, Quid causæ fuit, ut me opportuniore tempore accersiri non feceris? Quibus dictis, [eum in vitam revocat,] recta ad locum, ubi mortuus jacebat, contendit. Ibi ex domesticis ancillis Franciscā comperit, quæ vestes, quibus pueri corpus indueret, tenebat in manibus, parata ad vestiendum. Accedit propius, & lustrali aqua petita, [& volentem iterum mori sinit.] ea mortui os ac faciem aspergit; tum manibus eidem impositis orat: orando mortuum attrectat: inter attrectandum orandumque, ut inclamavit mortuum bis nominatim, Paulus ad vitam miro prorsus modo ejus precibus evocatur: apertis oculis, Philippo, omnibus qui aderant stupore oppressis, clara voce respondit; quocum per quadrantem horæ aut plus eo multum sermonem habuit, quem astantes non audiebant. Post id tempus rogatus a Philippo; Velitne mori, an in vita diutius esse? Mori se velle respondit, quod putaret, certum sibi esse in cælo ac definitum locum, ubi perpetuo Dei Optimi Maximi pulchritudine frueretur. Ergo mortis cupidus, ut in terram abiret viventium, in beati Patris conspectu complexuque, iterum efflavit animam, anno, quem diximus, octogesimo tertio, XVII Kal. Aprilis.

[126] Quamquam Philippus omnium, quæ a suis alumnis apud Vallicellam gerebantur, [Agente Card. Cæsio,] auctor esset & dux; non tamen ita subito habitationem templi S. Hieronymi ut desereret, induci potuit: id enim multis post annis, Petri Donati Cæsii Cardinalis opera, impetratum est. Is siquidem cum Congregationem nostram singulari amoris affectu prosequeretur, omni ope contendit, ut Philippum ad suos adjungeret: quare Gregorium Pontificem ultro adiens, obtinet ab eo, verbis suis Philippo præcipiat, ut in Vallicellam commigret quamprimum. Cujus ille jussui non restitit; eo enim Pontificis imperio divinam voluntatem satis exploratam habuit. Hoc certe scio, id fuisse Philippi consilium (ne cruces sibi a Deo paratas fugeret) ut ab ædibus S. Hieronymi numquam recederet, animo habitandi apud Vallicellam cum suis, nisi Superiorum jussu ad eam rem impelleretur. [migrat ad Vallicellam,] Ergo profectus est ab ædibus S. Hieronymi in Vallicellam, anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo tertio, X Kal. Decembris: atque tum primum Congregationis corpus, arctiore vinculo colligatum, totum integrum capite cum membris conjuncto conspici cœpit. Protinus Philippus non obscuriora dedit usitatæ indicia sanctitatis: nam etsi eadem nobiscum domo erat, solitudinem tamen pristinam haud quaquam deseruit. Solus cibum capiebat, [ibique fere solitarius vivit,] mensæ administrum admittebat nullum; Sacrum accersitus faciebat; atque ut ceteros suo ad obedientiam exemplo provocaret, vix ad Sacrificium vocabatur, cum relictis mox omnibus se expeditum, ubi opus erat, illico sistebat. Sacris cum indueretur vestibus, non modo non selectiores vestes, quarum multæ Patribus erant, sed obsoletiores postulabat. Et hæc sane haud levia sunt, si hominis supremam inter suos potestatem, & licentiam suo modo, ut ita dicam, vivendi consideremus. Omnium confluentium Confessiones audiebat: [optima de se exempla dans:] Eucharistiæ Sacramentum, completo Sacrificio,

accedentibus ministrabat. Accedebat ad hæc summus sui ipsius despicientiæ amor, summa in omnes caritas, in regendis filiis cura & vigilantia plusquam paterna, suaque præsentia mirum in modum omnium oculos & animos oblectabat: erat enim vir, ut alibi de eo dixisse me memini, sine fuco, morum elegantia ac suavitate præditus si quis alius, consiliis vero ac sententiarum gravitate omnibus admirandus.

[127] Sub idem, opinor, tempus, Sacerdos quidam, cui Mutio nomen erat, quique extra Urbem domicilium habebat, [periclitanti invocatus succurrit:] cum vel in periculo aliquo esset, vel tentatione aliqua premeretur, ubi Philippo se commendabat, extemplo omni ea molestia se levari sentiebat. Quodam die cum prope jam esset, ut in Tiberim (Romæ enim tum erat) certissimo cum vitæ periculo laberetur, ad solam B. Philippi invocationem incolumis inde confestim evasit. Mulier quædam, cujus nomen de industria reticetur, adeo iratum animum in quemdam cognatum sibi proximum gerebat, ut nulla ratio jam esset, [iræ pertinaciam absens castigat.] quæ ejus ad pacem animum induceret. Cumque diutius in iracundia permaneret, ut ne viri quidem aspectum æquo animo ferret; nocte quadam lectulo cum jaceret, alapa percuti se sensit: tum vocem beati Patris (eo enim illa ad Confessiones utebatur) audire sibi visa est: Et ut quoque proterve es iracunda? haud decet ita: omitte jam tuam istam iracundiam, & uti æquum est, rejecto odio, viro te illi quam mox reconcilia. His rebus turbata mulier, simul stupore attonita, quod nosset longe tum ab ea beatum Patrem corpore abesse, timore tremoreque correpta, lacrymis perfusa, cum cognato quamprimum in gratiam redit: albescente die Philippum adiens, omnem illi rem mirabunda narrat, ut facta erat.

## CAPUT XI.
## Annus 1584 & alii post hunc quatuor.

## A. Æt. 69

[128] Christi anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, mense vel Junio vel Julio, viro cuidam e prima nobilitate (nomen consulto supprimitur) in obscœnis partibus ulcera quædam exorta erant sane permolesta, usque adeo ut ignem sacrum sibi perpeti videretur, unde & pars nonnulla glandis nigrescere jam cœperat. Is accersito medico læsum membrum ostendit: [Philippus ulcus incurabile,] qui magnitudine mali victus, ægrum hominem perterrefecit; perterritusque ut erat, ad Philippum advolat. Qui mox, priusquam ille verbum ullum faceret, affectum membrum sibi ostendat, jubet. Haec ita dixit, ut appareret ei rem omnem divinitus indicatam. Jussa exequi juvenem pudet, remoratur imperium: sed cum Philippo urgenti resistere non posset, mandatum exequitur. Mira dicturus sum: [novit & sanat,] a vitioso mox membro Philippus morbum attactu depellit omnem. Ad hæc parumper haesit juvenis stupore attonitus, evidentia deinde miraculi motus, ad Philippum conversus; Licebit mihi jam, inquit, per omnes Urbis vias, tuas enarrare laudes, teq; salutis meæ auctorem nominare. At Philippus, ut erat homo propriæ laudis inimicus, silentium indicit, remque ipsam summa ope taceri jubet. Voti compos efficitur: juvenis enim Philippo vivente miraculum silentio texit; sed eo mortuo, ne ingrati animi vitium incurreret, multis e Congregatione Patribus aliisque primariis viris rem omnem, ut gesta erat, juratus ingenti profusione lacrymarum enuntiavit. Vivit is hodie, Sacramenta religiose pieque frequentans.

[129] Eodem, opinor, anno, cum esset Philippus in ecclesia, dedit sese ei in conspectum diabolus puerili forma, [dæmonis terriculamenta contemnit.] ut eum irrideret. At ille subodoratus confestim qui esset, qui aliena specie ad se illudendum venerat, eum advocat, contemnit, demumque ab ecclesia ejicit. Illud hoc loco

adjiciam, quod nocte intempesta eo orante audiebantur quandoque super cubiculo, in quo nullo sibi adjuncto comite morabatur, fragores magni strepitusque, quos dæmonis opera excitatos esse nemo est qui non videat. Sed & eidem, noctu precationibus intento, diabolum terrorem incutere tentasse superius attigi.

## A. Æt. 70

[130] Anno hujus seculi octogesimo quinto, Joannes Franciscus Anerius, cum ætatis quartum & decimum annum ageret, ex febri mortifera laborare cœperat; eaque mali vis fuit, ut a medicis destitutus animam traheret; [agonizantem diebus 17] apparebantque in eo signa, quæ facerent propinquæ mortis indubitatam fidem. Jam septemdecim dies prope exanimatus jacuerat. membra ejus perinde atque mortuorum cadavera obriguisse tactu sentiebantur, sensus amiserat omnes, nihil omnino gustabat, motus in eo percipiebatur nullus, a mortuo parum aut nihil differre dignoscebatur, ut omnium jam opinione mortuus crederetur: nec defuere qui obstupescerent, cum viderent moribundum adolescentem, per plurium dierum spatium, spiritum nullo propemodum sustentatum cibo retinere. Id ubi Philippus persensit, recta ad ægrotum tendit; manibusque ejus fronti impositis, adstantes monet, [in vivis servat,] ut pro illo semel orationem Dominicam Angelicamque salutationem recitent; tum procumbens in genua, manu fronti admota, adolescentis matrem alloqui cœpit: Tute ipsa filium tuum fame necas. Afferte mihi, clamat ad adstantes conversus, vinum Creticum; allatumque derepente morientis ori admovit, maximo ejusdem beneficio. Qui eo ipso momento quasi reviviscens, non modo exugere quod porrigebatur, sed etiam melius habere cœpit; paucisque post elapsis diebus, sanus vegetusque e lectulo surgens, beato Patri gratias quantas maximas potuit pro beneficio egit.

[111] Philippus, non apud eos modo, qui vel in periculis erant vel morbis afflictabantur, [honoratur a Gregorio XIII] in magna erat veneratione; sed apud Principes viros, ipsosque etiam Summos Pontifices. Illum siquidem Gregorius XIII, summæ prudentiæ atque integritatis Princeps; impense amavit, ac libentissime audire solitus erat: quin rebus in multis consilium ejus & operam frequenter adhibuit, eoque audito multa faciebat. Eodem propemodum amoris atque observantię affectu eumdem prosecuti sunt & alii Summi Pontifices, de quibus suo loco dicturi sumus. [& Cardinalibus ejus:] Reverebantur præterea Philippum, tamquam Dei amicum, eodem Gregorio XIII Pontifice, Amplissimi S. R. E. Cardinales, S. Carolus Card. Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, Guido Card. Ferrerius, Guilielmus Card. Sirletus Bibliothecæ Apostolicæ Præfectus, Gabriel Card. Palæotus primus Bononiæ Archiepiscopus, Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus, Antonius Card. Carafa, Julius Antonius Sanctorius Card. S. Severinæ, Alexander Medices Card. Florentiæ Archiepiscopus, Nicolaus Sfondratus Card. Cremonæ Episcopus, qui postea fuit Gregorius XIV, Augustinus Valerius Card. Veronæ Episcopus, Vincentius Laureus Card. Montisregalis Episcopus, aliique permulti. Transeamus nunc ad res a Philippo gestas Sixto V Pontifice Gregorii successore, qui Summus Pontifex declaratus fuit anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto, octavo Kal. Majas. Sedit annos quinque, menses quatuor, dies tres.

[132] Anno hujus seculi octogesimo quinto, Joannes Antonius Lucius Sacerdos, [duos a medicis desperatos,] cum sexaginta annos aut plus eo natus esset, ab equo cui insidebat excussus afflictusque ad terram, ad ultimum ferme periculum venerat; quandoquidem confracto capite, omoplataque luxata, febri accedente, salute medicis pronuntiantibus periclitabatur. Ergo cum ex eo morbo vereretur mori, accersito mox Philippo, Mortis

dixit, me tædet, Pater, quandoquidem testamentum nondum, quod mihi placeat, composui obsignavique. Tum Philippus hominem amplexatus; Bono animo esto, inquit, testamentum tu ipse arbitratu tuo conscribes. Nec verba in ventum jacta: æger enim melius confestim habuit, brevique post convaluit omnino, vitamque ad multos annos produxit: decessit anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Kal. Novembris. Eo ipso anno mense Novembri, nobilis adolescens Carolus Ursinus, [non morituros prædicit,] cum ætatis annum duodecimum ageret, morbo laterali vehementique febri correptus est; doloribus ad sinistrum latus utrimque gravibus. Urgebat continens febris, ne vel minimum quidem remittens: morbus mortifer erat: de ægri vita medici dubitare jam cœperant. Interea temporis, cum quodam die sub vesperum ad desperationem laborare cœpisset, adest Philippus ab ægri matre evocatus: qui submotis mox omnibus foribusque clausis, ubi primum insideat dolor ægrum rogitat: tum ex eodem percunctatur, velitne confiteri de peccatis suis. Libenter quidem, inquit ille. [& sanat manus suæ contactu.] Hic Philippus procumbens in genua, ejus Confessionem, manu dolenti parti admota, audit. Nec frustra hæc fuerunt: ex ejus enim attactu id Carolus assecutus est, ut morbo levari se senserit. In recessu Philippus, Ne timeas, ei dixit, hoc morbo haud morieris: cras melius tibi erit. Mirum dictu! vix domo excesserat, cum adolescens omni repente dolore liberatur divinitus: eaque nocte, quamquam nocturna ante premebatur vigilia, quietem capit; ad lucem usque placidissime dormit; somnoque experrectus, omnem a se morbum penitus discessisse, sanitatemque sibi pristinam redditam esse, medicis miraculo attonitis, advertit. Narravit deinde Carolus, sibi ægro visum esse sentire, Philippum ea manu, quam dolenti parti admoverat, dolorem omnem exhaurientem.

# A. Æt. 71,

[133] Anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo sexto, XVII Kal. Februarias, recenti iterum ac repentino morbo, eoque gravissimo atque mortifero, opprimitur Philippus; ex quo tamen brevi, quamquam Oleo sancto inunctus, [sanatus a gravi morte,] præter spem, medicis admirantibus miraculumque inclamantibus, prorsus convaluit. Cum Patres, eadem domo viventes, se suaque ad nutum Philippi moderarentur; nihilque rerum omnium esset quod cuperent magis, quam divinam voluntatem, ut eam sequerentur in omnibus; tum maxime factum est, ut eorum fama longe lateque vagata, variis in locis ac regionibus summa cupiditate expeterentur. Ergo e Romano Oratorio, ut a primaria arbore, surculi multi per diversas Italiæ urbes transferri cœpti sunt, fertilique solo plantati extenderunt quacumque ramos suos. [patitur oratoria Neapoli,] In his celeberrimum habetur Oratorium, Neapoli constructum opera Francisci Mariæ Taurusii, qui eo hujus seculi anno octogesimo sexto ab Annibale de Capua Archiepiscopo aliisque nobilibus viris accersitus fuerat. Is ubi Neapolim pervenit, hospitio ad Nosocomium insanabilium accepto, paulatim ædes ac templum sane magnificum civibus adjuvantibus extruendum curavit, in cujus fundamenta primum lapidem jecit idem Annibal Archiepiscopus, maxima ceremonia atque frequentia. Ut autem major esset fructus animorum, Taurusium sequuntur, Patrum Romanæ domus decreto, Antonius Talpa Septempedanus, Franciscus Bozzius Eugubinus, Thomas Galletus Niciensis, & Michaël Angelus Tocius laicus: post aliquanto alii tres Sacerdotio præditi, Juvenalis Ancina Fossanensis, Petrus Puteus Panormitanus, & demum Flaminius Riccius Firmanus. Ergo ii, ubi una cum Taurusio in vinea Domini divini verbi semine excolenda laborant, cœperunt multi, Taurusii præcipue (cujus nomen jam tum celebre erat) monitis & exemplo permoti, ad nostrum institutum sese aggregare;

brevique Deo bene juvante factum est, ut plures sexaginta Congregationi ad spiritualem militiam nomina dederint.

[134] [ac Septempede erigi;] Quid memorem apud Septempedanos in Piceno & alibi alia hujus instituti loca, non sine maximo animorum fructu, intra paucos annos erecta? Quæ omnia unius Philippi labori, exemplo, atque auctoritati accepta referunt omnes. Verum Lectorem hic admonitum volumus, Patres nostros domicilia extra Urbem, quorum regimen apud eos resideat, justis de causis præter Neapolitanum & Septempedanum, habere velle nullum; idque hoc decreto sancitum est; Ne quis prætextu amplificandæ Congregationis eam dissipet: [cavet ne plura Romano uniantur,] atque ut confusio evitetur, quam multitudo parere solet, arctiusque inter se, qui sunt e Congregatione amoris vinculo colligentur, quem quotidiana consuetudo conciliat, ac mores cujuslibet ex hoc dignosci possint facilius, & notorum vultus cuncti revereantur; statuitur, ne Congregatio alibi ullum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendæ onus, nisi Romæ, Neapoli, ac Septempedæ. Hucusque ibi. Ceterum Patres, ne aliorum Oratoriorum extructionem rejicere viderentur; hæc verba decreto adjecerunt: possit nihilominus, si ipsi videbitur, mittere aliquos, qui instituant aliis in oppidis ejusdem rationis Collegia; cum eo tamen, ut hoc peracto revertantur; neque illa sint nostris annexa, neque Clerici eorum sint e Congregatione Oratorii Romani: possit similiter in ædes suas excipere veluti hospites Sacerdotes exteros, qui addiscant instituta nostra, ac post aliquod tempus eadem valeant inter suos fundare. Hactenus decretum. Sed quamquam hæc ita sint, necessitate tamen Patribus obveniente, [nihilominus Anxanum recipit,] novum Anxani Oratorium anno hujus seculi nonagesimo octavo, Kal. Novembris aperire opus fuit: possidet enim Congregatio Abbatiam sancti Joannis, in Vanere vulgo dictam, ei urbi

proximam, cui animarum cura annexa est. Ibidem præterea institutum a Patribus Seminarium indigenarum adolescentium, eo consilio ut ad pietatem facilius atque ad omne munus officii instituantur. Habet Abbatia oppida decem; unius ex his, quod Fossa-caeca appellatur, Patres domini sunt. Extant jam in hunc usque diem variis in locis Oratoria extructa quamplurima, aliaque extruuntur in præsens, omnia Romani instar: quibus rebus fit, [& alia alibi fundari probat.] ut inducamur ad credendum, brevi tam præclaram B. Philippi vitæ institutionem ubique gentium propagandam fore: Congregatio enim ad omnium gentium auxilium nata, omnibus prodesse debet, sine ulla Regionum aut locorum exceptione. Oratoria jam extructa Romani instar, praeter Neapolitanum, Septempedanum, & Anxanum, quatuor sunt, Lucense, Firmanum, Panormitanum, & Camertinum: quæ extruuntur in præsens sex, Fanense, Patavinum, Vicentinum, Ferrariense: quintum in oppido erigitur, cui Tononio nomen, trans Alpes diœcesis Gebennensis Ducatus Chablasii; sextum in ecclesia B. Mariæ Gratiarum diœcesis Foroiuliensis, in Provincia.

## A. Æt. 72.

[135] Eo ipso anno, Novembri mense aut Decembri, Eugenia Mansueta per menses octodecim narium morbo laboraverat, [Polypum sanat,] quæ illi interdum non modo intumescebant enormiter, verum gravi quoque eam vexabant incendio. Ab eo autem morbo ubi nullis etiam assiduis medicorum curationibus ac remediis liberari se posse vidit, frustulo lintei beati viri sanguine asperso sibi admoto, protinus ab ea ægrotatione evasit, neque in posterum ab ea tentari se sensit. Eodem anno aut certe insequenti, quidam e prima nobilitate magno tenebatur desiderio, [cogitata novit.] Philippo nescio quod animi sui consilium, quod nemini enuntiaverat, credere: sed sive metu sive verecundia impeditus, rem in diem ex die

differebat. Cumque quodam die mane apud ædes nostras esset, excipit illum Philippus; ejusque animum, de quo nihil prorsus audierat, eidem silenti atque stupenti explicat aperitque. Christi anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo, Martio mense, Joannes Franciscus Bernardus Placentinus, [Moribundum sanat.] nostræ Congregationis Sacerdos in pernicialem morbum incidit. Ea extitit morbi vis, ut brevi, omnium cum medicorum tum domesticorum opinione, pro mortuo haberetur. Hunc extremo jam delibutum Oleo invisit Philippus, eique in aurem dixit, Bonum habeas animum, hoc morbo minime morieris. Nec sane in irritum ea verba ceciderunt: quippe continuo melius ægro fuit, illoque ipso die, quo medici eum moriturum prædixerant, magnum augmentum salutis assecutus est; pauloque post, contra omnium spem, integram corporis recuperavit salutem.

[136] [Sacrilege confitentem plorat,] Hoc etiam anno, an Martio, an Aprili mense? adolescens quidam, satis ampla familia (nomen silentio premitur) crebro ad Philippum ventitabat. Hic peragebat Confessiones apud religiosos viros magnæ apud omnes æstimationis; sed inter confitendum delicta aliquot, pudore impeditus, occultabat. Cum itaque sic vitam ageret, venit de more ad Philippum. Quae cum ille attentissime intueretur, lacrymis illico oppleri cœpit (puerum a matre cæsum, qui flebat, crederes) tantaque lacrymarum vis fuit, ut adolescentem in eumdem fletum adduxerit. Inter gemitus & lacrymas in has voces prorupit: Quid est quod Sacerdoti, qui tibi est a Confessionibus, singula peccata non aperis? Confitere ei, confitere quæ commisisti delicta, ne incassum defatigeris. Quibus mox verbis adolescens in stuporem actus, quippe qui id a Patre audierat quod nulli hactenus mortalium patefecerat, toto corpore præ metu ac reverentia contremiscebat: cadebant ei lacrymæ quasi puero præ dolore; itaque constituit simul amplecti pœnitentiam, simul Sacerdoti

quo ad Confessiones utebatur animi vulnus aperire; quod & die insequenti, [rite confessum cernit alio vultu:] facta totius vitæ Confessione, diligentissime præstitit. Tum redit more solito ad Philippum; quem ille intuitus, etsi ejus peractae Confessionis nescius, ex solo tamen aspectu animi mutationem novit, factum laudat, aliumque eum esse quam dudum fatetur. Quid tua isthæc, inquit, nunc nova figura oris & vultus? alius mihi videris modo, quam antea; novum, mihi crede, vultum induisti. Quæ profecto res ut magna, insolita, atque inusitata, ita adolescentem nova admiratione affecit. Vixit is deinceps sub frequenti Sacramentorum usu, tantumque hausit ex ea re roboris, ut se totum Deo corpore animoque dicaverit.

[137] [eligitur Præpositus Generalis,] Interim cum Philippus apud suos esset, visum est tandem Patribus, quem parentem & auctorem Congregationis habebant, eumdem etiam ipsiusmet Congregationis perpetuum habere Præpositum Generalem, cujus partes sunt ceteris cum potestate præesse; idque miro omnium consensu, dictis sine variatione sententiis, decretum est eodem XIII kalendas Julias, eo prorsus invito ac renitente, suoque incluso cubiculo: fugiebat enim Philippus id onus, ut erat homo quietis ac vitæ privatæ cupidissimus, summaque animi demissione ornatus. Erat eo tempore lex, ut Præpositi Generalis munus tres annos duraret, aut ad summum sex, quibus exactis nihil amplius potestatis haberet, [& quidem perpetuus:] neque confirmari posset: quam quidem legem interpretati sunt Patres, ne Philippum comprehenderet. Ergo decreverunt atque sanxerunt iterum, ut Præpositi Generalis potestas, uno excepto Philippo, triennii spatio definiretur, ea conditione, ut præscripto muneri tempore exacto Præpositi potestas ad tres alios annos, modo id Congregationis bono conducere visum esset, prorogari posset. Verum post Philippi obitum, anno hujus seculi nonagesimo sexto, mense Maio, ea lex decreto universæ

Congregationis irrita facta est; nova in posterum constituta, qua Patribus facultas daretur Præpositum Generalem, non exacto triennio solum, sed etiam iterum, tertio, ac deinceps, dum Congregationi id expedire noverint, confirmandi.

[138] [vetat quemquam voto obstringi,] illud non involvam silentio, ea fuisse Philippum mente, ut cuperet, quam vitæ institutique rationem Congregatio initio ceperat, eam perpetuo retineret. Hinc factum est, ut omnibus testatum esse voluerit, id sibi in desiderio esse, ut qui Congregationis instituta amplecterentur, numquam se voti aut sacramenti vinculo, neque in præsens, neque in posterum obstringerent. Quod si qui, perfectioris vitæ desiderio stimulante, Religiosorum statum amplecti malint, seu juramento aut promissione aliqua se obstringere; iis liberum omnino esset ad quamcumque velint Religiosorum familiam sese recipere; qui vero in Congregatione vitam agere decreverint, arreptam initio vivendi rationem immutare non præsumant; sic vivant tamen ut, mutuis se caritatis nexibus colligantes, bonus Christi odor omnibus ubique fiant; illud imprimis attendentes, ut partim exemplo vitæ, partim verbi Dei prædicatione Religiosi esse videantur. [Constitutiones scribit.] Præscripsit insuper leges, ad Congregationis vocationem & spiritum quam accommodatissimas, quas susceperunt omnes. Tum vero, ne domesticae pacis atque concordiæ bonum disperderetur, statuit, ut si qui inobedientes inter eos essent, seu alios suo exemplo offenderent; hi, tamquam ad nostrum institutum minus apti, si corrigi non possent, e Congregatione pellerentur. Illud præterea monebat sæpissime alumnos, ne rebus externis sed Christianis virtutibus delectarentur; in idque studii pro viribus incumberent, ut humilitatem, obedientiam, patientiam, caritatem, castitatem, caducarum rerum contemptum, mansuetudinem, ceterasque virtutes intus forisque possiderent; ea

præterea esset inomnibus eorum vitæ ratio, quæ inter seculi licentiam & asperas sacrarum familiarum observationes auream quamdam mediocritatem contineret; ut id vitæ institutum spectantes, qui in mundi luxu vitam agunt, si Religiosorum cœnobiis ob vitæ asperitatem se mancipare non possint, habeant quo se recipiant quove confugiant, ubi mores corrigere, parare virtutes, pie demum sancteque vitam instituere valeant.

[139] [Futura] Constans olim fama per Urbem erat, virum quemdam, præclaro genere ortum, ecclesiasticis dignitatibus ornatum, cujus nomen consulto reticetur, Cardinalium Collegio eo ipso anno, XV kalendas Januarii adscribendum. Id simul atque Philippus audivit; Is dixit, non in præsens modo, verum ne in posterum quidem, Cardinalatus honorem consequetur. Prædictionem comprobavit eventus: siquidem Clemente Octavo Pontifice Maximo, nullis ei novarum dignitatum accessionibus factis, obiit Romæ. Sub idem tempus, ut arbitror, Prosper Samajus Sacerdos, nostram ingressus ecclesiam, a Philippo confestim vocari se sensit, vocatusque adfuit. Tum ille, Te idcirco accersivi, inquit, ut moneam, ne, [& occulta novit,] Sacerdos cum sis, mulieres contingere audeas, neve te in feminarum consuetudinem inducas; hæc enim facere Sacerdotem minime decet, cujus partes sunt castitatem totis viribus colere. His ille auditis mirandum illico in modum obstupuit, eoque vel maxime, quod nec ille Philppum, nec illum Philippus noverat.

## CAPUT XII.
## Annus 1588 & sequentes duo.

## A. Æt. 73.

[140] Anno deinde millesimo quingentesimo octogesimo octavo, Helena nobilis mulier, Tamiriæ Ceulæ filia,

uterum cum gestaret, Septembri mense instante partu, [Fœtum mortuum edendum prædicit,] quod fœtum non effunderet, accersitur Philippus. Is feminam mox manu prehendens, circa cubiculum deambulare jubet; quod dum fieret, preces ille ad Dominum fundebat pro ea. Tum ubi discessum parat, instat benigne mulier, nasciturum infantem ut baptizare velit. Negat Philippus: excusationem legitimam affert: quæ cum haud satis justa atque idonea feminæ videretur, orat iterum aliquem saltem suo nomine mittat ejus vices supplentem. Tum demum ille, nullo tibi homine opus erit, qui infantem baptizet: & his dictis abiit. Nec Philippi verba sine effectu; femina nocte insequenti mortuum fœtum enixa est. Eodem anno Julio Saveræ Mutinensi, Philippum adeunti, allatæ in itinere litteræ sunt, in quibus scriptum erat, ejus matrem, de cujus morbo nihil prorsus acceperat, [& novit statum procul defunctæ:] V Kalendas Septembris diem obiisse. His ille perculsus litteris, rem nemini enuntians, cœptum iter lacrymarum plenus prosequitur. Hunc beatus Pater ut vidit, pileo suo primum ejus tecto capite, tum Rosario in gyrum acto ejusdem collum circumdans: Age, age, inquit, mitte lacrymas: mater tua ita decessit, ut de illa optima sperare possimus. Ea porro res ejusmodi erat, ut omnes uno excepto Julio lateret. His ille auditis, simul lætitia, simul stupore perfunditur.

[141] Hoc etiam anno Victoria Varesia Romana patiebatur e capite fluxionem, catarrhum vocant, cum frigidis doloribus in dexteram manum delabentem, [tumens brachium] quæ per brachium subinde ad pollicem prope extendi cœperat, nonnullum tumorem invehens. Haec, ad morbum frustra medicorum remediis usa, deterius habebat indies. Ergo venit illi in mentem ad Philippum confugere, eoque vel maxime ad id impelli sensit, quod videbat majores morbum vires sumere, dexteræque manus nervos contrahi: quibus fiebat ut vixdum brachium, quo ad nullam jam ferme rem uti poterat, flectere

extendereque posset. Itaque Philippum fiduciæ plena sacri Adventus tempore adit, morbum aperit: tum ille affectum membrum fasciis obligatum manu prehendens, orat pro ægræ salute, interque orandum apprehensum brachium manu stringit premitque fortiter: demum supplicatione completa; [tactu sanat.] Vade, inquit, Victoria, & ne quidquam timeas, sanitati pristinæ restitueris. His illa auditis læta inde abiens, domum revertit. In itinere id secum ipsa dicere cœpit: Nonne Philippum, ut virum sanctum Deique amicum, veneror? nonne spem omnem valetudinis recuperandæ in eo uno reposui? Facessant igitur humana remedia, abeant medicamenta. Quibus dictis, læsam illico manum fasciis ligatam soluit; ceratum in ignem conjicit. Quo ex tempore adeo confestim melius habuit, ut læsam partem frigida aqua medico invito madefaceret, eadem ad omnia ut vellet uteretur, nulloque deinceps medicamento brevi prorsus convaluit.

## A. Æt. 74.

[142] Anno hujus seculi octogesimo nono, uno eodemque tempore, [Ex ægris 2 alterum meriturum dicit:] Helena Ciba & Dominicus Mazzeus conjuges, gravi impliciti morbo cum tenerentur, Tamiriæ Helenæ matri, utrumque diem obiturum suspicanti; Timorem, inquit, Philippus, depone: de duobus alter dumtaxat morietur. Prædictionem eventus subsequitur; solus Dominicus, Helena uxore relicta, cessit e vita, quinto decimo Kalendas Julias. Eodem anno virgo nobilis Laura Morona, annum agens duodecimum, mortifero morbo corripitur: morbus usque eo processit; [moribundam sanat.] ut puellæ nulla jam vitæ relicta spes esset. Dereliquerant eam medici; jacebat enim lectulo sensibus omnibus destituta: non audiebat, non loquebatur, eamque Sacerdos Oleo sancto inunxerat. Hanc itaque cum viderent parentes nulla spe salutis animam trahere,

lamentabantur ut mortuam. Jamque omnia erant ad sepulturam ac funus parata; fossa, in qua corpus humandum, decreta. Interea accersitur Philippus: qui ubi eo venit, in puellæ mox faciem efflavit, alapam inflixit; tum ejus capillos manu prehendens, caput circumagens, magnaque voce eam inclamans, ut Jesu nomen pronuntiaret, imperavit. Hæc ut facta sunt, moribunda extemplo oculos aperit, Sanctissimum Jesu nomen pronuntiat, melius habere incipit, periculo confestim eximitur, febri omnium spe citius liberatur, & tandem in pristinam restituitur valetudinem.

[143] Hoc etiam anno Joannes Baptista Guerra Mutinensis, nostræ Congregationis laicus, cum XIII Kalendas Januarias, ecclesiæ parietes peristromatibus exornaret, præceps ex altissimo loco ruit; quo casu tam vehementer offendit, [Ex gravi lapsu caput fractus,] ut mortiferum in occipite vulnus acceperit. Caput ad marmor cadendo allisit: ictus gravis, percussio mortifera: itaque repertus ut nec quidquam loqueretur, nec exaudiret inclamantes, pro mortuo sublatus, expiranti similis, in proximum cubiculum per manus defertur. Horas aliquot jacuit alienatus a sensibus: ex Patribus non deerant, qui eum, quasi animam ageret, ad bene moriendum precibus adjuvarent. Interea de Joannis Baptistæ lapsu nuntius ad Philippum mittitur: qui dimissis confestim omnibus, Deum pro moribundo rogare cœpit enixius, ut qui diceret, nolle se eum tum emori. Advocantur interim medici: [& a medicis desperatus,] qui ut ægrum prope exanimatum offendunt fracto capite, & ex vulneribus sanguinem fluere conspiciunt; periculis plena omnia, vulnera letalia esse severe pronuntiant. Id ipsum Angelus Victorius, medicus Patrum, aliorum opinionem secutus, affirmat. De gravitate morbi medicorum omnium in unum congruere sententiæ; sed de modo medendi summa inter eos dissensio erat. Joannes (id uni ex illis nomen) in ea erat sententia, ut diceret, læsam partem ferramentis non modo

abradendam, sed etiam aperiendam esse, osque ipsum detegendum, ut quidquid læsum erat in conspectu esset: alii vero contra, in quibus Josephus Zerla erat medicaæ artis laude præstans, nullo id pacto tentandum. Jamque ferramenta ad scindendum perforandumque parata omnia: sed cum peritissimi medici diversa de curandis vulneribus sentirent, nullum ægro adhibetur medicamentum, præter simplicem abiegni olei unctionem, & unicam ex oleo amygdalino potionem. His peractis, venit ad Philippum Angelus Victorius, vulnera prorsus mortifera esse exponit. Cui ille subridens; [Philippo jubente convalescit.] Ego, inquit, nolo is moriatur, donec cœptam fabricam absolverit. Tum serio locutus, Dominum rogo, adjecit, pro istius salute, quem novi e morbo plane surrecturum, ut factum est. Joannes Baptista enim mirifice convaluit: quippe febris nulla fuit quæ morbum sequeretur, quamquam medici eam expectabant: dolor itidem nullus, nulloque alio medicamento, præter id de quo ante dixit, vulneribus subventum fuit. Etsi autem ex medicis non deerant qui dicerent, ad ferramenta veniendum esse; æger tamen pristinam, contra omnium spem, recuperavit sanitatem.

A. Æt. 75.

[144] Cum ecclesia nostra, Sanctorum Reliquiis nudata, in eam qua nunc cernitur formam redacta esset; [Intercedente Cardin. Cusano] cogitare statim cœpit Augustinus Cusanus Cardinalis (cui semper uni Philippo magis quam ceteris obsequi cordi fuit) de ea tam ingenti thesauro locupletanda. Ergo ubi id secum animo agitat, omnem operam ponere statuit, ut Sanctorum Martyrum Papiæ & Mauri sacra corpora, e Diaconia Sancti Adriani, cujus eo tempore Titularis erat, ad ecclesiam nostram auctoritate Apostolica transferrentur: ad id porro hac movetur occasione. Decreverat ejus ecclesiæ aram maximam pervetustam instaurare exornareque: id ubi

fieri cœptum, reperiuntur fabris altare demolientibus nonnullorum insignium Martyrum corpora, nempe Flaviæ Domitillæ Virginis, Nerei & Achillei eunuchorum; Marii & Marthæ conjugum; ac demum Papiæ & Mauri nobilium militum Romanorum, tribus distincta loculis, cum vetustis inscriptionibus. Interea temporis Augustinus Cardinalis, [impetrantur corpora SS. Papiæ & Mauri:] quo piis Philippi optatis votisque respondeat, a Sixto V impetrat, ut Sanctorum Martyrum Papiæ & Mauri sacra corpora, e S. Adriani Diaconia, in nostram ecclesiam S. Mariæ & B. Gregorii a Vallicella deferantur; quod ejusdem religioso officio ac liberalitate curatum est. Tertio itaque Idus Februarias, anno millesimo quingentesimo nonagesimo, resignato apertoque loculo, quo horum Martyrum sacra corpora continebantur, extracta est concessu Pontificis exigua quædam Sanctorum ossium pars, quæ eo ipso in templo S. Adriani, quasi diuturnæ mansionis & hospitii testis ac monumentum, retineretur. Clausus rursus & obsignatus loculus, reconditusque in arcam ligneam, serico bombycino coccineo contectam; is demum loculus, eodem die magna populi frequentia e sacrario elatus, feretroque impositus, super altare maximum collocatur. Tum Germanico Fideli ceremoniarum præfecto annuente, agmen ac pompa cœpit ab ædibus S. Adriani ad fornicem Septimii procedere, inde ad Capitolium, tum ad plateam Alteriorum, ex qua per viam Pontificiam ad montem Jordanium processum, inde demum ad nostram ecclesiam perventum est.

[145] [quæ solenniter in ecclesiam novam] Res fuit omnino visenda. Sacræ portabantur Reliquiæ auro fulgentes, patentes in feretro sub umbella holoserica, pio Sacerdotum nostræ Congregationis ministerio, symphoniacorum choris suavissime præcinentibus. Antecedebant præclarissima beatorum Martyrum pignora, sacrorum hominum familiæ, Clerus laicique quamplurimi, qui nostram ecclesiam & oratorium

frequentant: singuli faces accensas manibus gestabant, argentea thuribula bina deferebantur, funalia circum quamplurima: Helvetii item, ad tumultum vitandum, sacrum feretrum cingebant. Qui autem allata celebri pompa sanctorum Martyrum corpora, pio ac religioso obsequio exceperint, ad infimos usque ecclesiæ gradus obviam prodeuntes, fuere S. R. E. Cardinales;
Alphonsus, Episcopus Portuensis Card. Gesualdus;
Gabriel, [coram 12 Cardinalibus transferuntur:] Episcopus Albanesis Card. Palæotus,
Dominicus, Tit. S. Laurentii in Pane & Perna Card. Pinellus;
Hippolytus, Tit. S. Pancratii Card. Aldobrandinus, Major Pœnitentiarius, hodie Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Clementis Octavi nomine assumpto;
Hieronymus, Tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere;
Scipio, Tit. S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga;
Marianus Perbenedictus, Tit. SS. Marcellini & Petri Cardin. Camerin.
Federicus, S. Agathæ Diaconus Card. Borromæus;
Augustinus, S. Adriani Diaconus Card. Cusanus, qui Sanctorum Martyrum corpora, jussu Sixti Papæ V, conceptis verbis tradidit beato Philippo Nerio Florentino Parenti nostro, nostræque Congregationis Fundatori auctorique;
Guido, SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardin. Pepulus.

Hi omnes cum sacrum feretrum, jam aræ ligneæ medio in templo excitatæ aureoque pallio circumtectæ impositum, venerarentur; supervenit Nicolaus Sfondratus, Tit. S. Cæciliæ Card. Cremonensis, qui postea Gregorius Decimus quartus fuit. Verum elapso quatriduo, sacra Martyrum corpora & capita, e templo sublata, in sacrario fuere deposita; ibi tantisper mansura, dum & ipsa basilica & ara maxima, quæ magnificis operibus extructa est, consecraretur & dedicaretur. Quæ tandem dedicatio superiore anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, [& an. 1599 ponuntur sub altari.] per Alexandrum

Medicen, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Florentiæ Archiepiscopum, solenni ritu ac pompa celebrata est. Hæc de postrema Sanctorum Martyrum translatione, quam diffusius uberiusque Jacobus Butius, Lateranensis Basilicæ Canonicus, atque Illustrissimi Domini Hieronymi Rusticuccii Cardinalis Vicarii Notarius, qui rebus omnibus interfuit, minutissima quæque persequendo, litteris mandavit.

[146] Incidens quodam die ex sibi data occasione in sermonem de Catharina Pratensi, [Videt absentem Religiosam Sanctus;] ex ordine S. Dominici insignis sanctimoniæ femina, cujus res præclare gestas tribus libris prosecutus est Seraphinus Razzius ex eadem familia, in hæc prorupit verba: Catharina dum viveret, sese mihi per visum ostendit. Quæ esset ejus corporis effigies, quæ habitudo oris, qualis statura, quis aspectus, ad amussim exprimebat. Mirabile id fuisse quis neget? quandoquidem nec Philippus Roma, nec Catharina Pratensi cœnobio egressa est. Hæc porro narravit ille occasione obitus ejusdem Catharinæ, qui in hunc annum in diem quartum nonas Februarias incidit. Hector Modius Calaber, eodem anno, Februario mense Romam veniens, Philippo peccata sua confitebatur: quod dum faceret, [monet non integre confitentem;] non importunos modo intemperantiæ ardores, quibus frequenter impugnabatur; sed desidiam etiam, quam in illis refellendis adhibebat, silentio involvere consueverat. Philippus interim, ut juvenis pertinaciam vidit, simulque animi periculum in quo erat; arrepta ex Confessione delictorum quam faciebat occasione; Quid causæ est, dixit, quod te de libidinis atque intemperantiæ stimulis, simul de negligentia qua in eis repellendis uteris, non accusas? Effare peccata tua, si Deo rem gratam facere cupis. Quibus ille rebus in admirationem raptus, mox intimo cum animi dolore confessus est se in his deliquisse; atque deinceps majore solertia vitam traducturum omni asseveratione affirmavit.

Eo ipso anno, mense Martione an Aprili? P. Prometheus Peregrinus , nostræ Congregationis Sacerdos, ita graviter ex intestinis laborare cœpit, ut ea sibi extrahi crederet. [iliacam passionem sedat;] Quamobrem in cubiculum mox delatus, miserandum in modum cruciari se sentiebat doloribus increscentibus. Hunc itaque visit Philippus; qui aliud instituto suo agere simulans, quasi jocaretur ægrum manu contrectat; illiusque mox pectore signo Crucis signato, eum bonæ implet spei; illud adjiciens, nihil esse, quod timere debeat: & his dictis abiit. Ille vero, intra semiquadrantem unius horæ, omnem dolorem a se penitus abscessisse sensit & professus est.

[147] Eodem anno nobilis mulier Livia Vestria, permolestam capitis vertiginem quatuor plus menses patiebatur, [& capitis vertiginem:] & Guaiaci decoctum (Lignum sanctum appellant) quod sumpserat, morbo profuerat nihil, quin parva occasione succideret. Hæc igitur quodam die, cum e templo nostro, ubi Sacramenta frequentat, domum repetere vellet, haud potuit, vertigine eam repentino invadente; quippe cui circumagi, quæcunque cerneret, videbantur. Id ubi advertit P. Angelus Vellius, ad Philippum eat, hortatur. Paret illa; rem beato viro exponit: qui ejus mox caput manu contingens, omnem ab animo curam repellat, monet. Mira dictu res! Extemplo illa, unius Philippi attactu, toto morbo ita se levatam animadvertit, ut ne ulli quidem vel minimæ ejus valetudinis perturbationi deinceps subjacuerit. Hoc etiam anno, Augusto mense, Bartholomæus Fuginus Romanus eo erat corporis morbo æger, ut jam deplorata esset salus: [moribundum sanat:] hic enim a medicis derelictus, extremoque Oleo inunctus, partim pestilentis febris vi, partim acerbissimi doloris qui capiti hærebat magnitudine, proxime ad mortem accesserat. Eam rem ut Philippus noster audivit, ad adstantes tertia noctis hora conversus, ægro dixit, Certam opem feret Dominus. Eoque pro illo noctu orante, reperitur mane, qui vesperi pro

mortuo habebatur ab omnibus, non a febri solum plane relictus, sed doloribus etiam, quibus vel maxime conficiebatur, liber. Vivit is adhuc, sanitatis beati Patris intercessione redditæ fidelissimus testis. At de his satis. Jam nos ad ea conferamus, quorum annos, quibus gesta sunt, etsi hoc Pontifice facta, haud satis compertos habemus.

[148] [novit secretam cogitationem:] Feminam quamdam nobilitate præstantem invaserat cogitatio, rem nescio quam Deo gratam amplectendi; eaque occulta erat, ipsa autem nemini dixerat. Cumque nec quid ageret sciret, nec Philippo animum suum aperire auderet, in ancipiti cura versabatur. Verum cum quodam die Confessionis peragendæ cupida Philippum adiisset, nondum mulier verbum ullum fecerat, cum ille ejus animi cogitationem, quam divinitus noverat, mulieri obstupescenti exposuit. Ea erat omnium de Philippi sanctimonia constans opininio, ut non deessent, qui ejus, absentis licet, quasi præsentis opem implorarent. Patritius Patritiæ gentis, [varios morbos invocatus curat:] cum nocte quadam increscentibus stomachi seu intestinorum doloribus, quibus laborabat, mori metueret; ad beatum Patrem mente confugit, ejus opem implorat. Nec irritus: totus enim is dolor continuo abiit, ipseque mane sanus ac vegetus e lecto exiliit. Honesta mulier Maria, Paganella cognomento, eodem morbo oppressa, telæ frustulum, beati viri sanie ac sanguine imbutum, dolenti parti admovens, illico sanatur. Eamdem alio tempore, capitis dolore gravissime conflictatam, Philippus solo tactu in pristinam confestim restituit valetudinem.

## A. Ǽt. 76.

[149] Natus videbatur Philippus ad afflictos sublevandos, tentationibusque vexatos confirmandos; in his enim plurimum ille valebat. Rem uno & altero exemplo

notabimus. Mulier quædam, eximie nobilis piaque valde, gravissimis animi curis opprimebatur; cumque ad sex menses eo tentationis genere oppugnaretur, [solatur afflictos & & juvat tentatos.] de consilio Confessarii Philippum adiit; cui cum animi molestias aperuisset, eam ille intuens, lenique tactu demulcens, bonæ implet spei; Abi, dicens, nihil jam erit quod te molestet in posterum. Vix ille hæc dixerat, cum extemplo femina omni ea molestia, non in præsens modo, verum in posterum etiam liberatur; quod profecto absque miraculo contingere non potuit. Quidam in divino Officio recitando adeo scrupulis conficiebatur, ut pene diffideret: ad hanc itaque pestem avertendam multa nequidquam expertus, tandem ad Philippum confugit. Ille re cognita, claudens illico cubiculi fores, hominem a se dimittit; Deum pro eo precaturum pollicetur. Abiit ille domum, divinumque Officium recitare aggressus, ab omni illa diaboli tentatione liberum se prorsus advertit. Multi præterea, maximis pressi solicitudinibus, vel ex hoc solum quod eum alloquebantur, læti inde recedebant.

## CAPUT XIII.
## Acta sub Pontif. Gregorii XIV & Innocentii IX, anno 1590 & 1591.

[150] Nunc ad res a Philippo gestas Gregorio decimoquarto: a nihil enim de beato Patre, Urbano VIII Pontifice, [Sanctus obtinet facultatem privatim sacrificandi,] ob Pontificatus brevitatem, scribendum occurrit. Hic porro est ille Gregorius, cujus permissu beatus Pater privato in sacello (erat id suo cubiculo proximum) facere cœpit: ibi enim ille, desiderio se Deo liberius conjungendi, ad ea verba cum ventum esset, Domine non sum dignus, tum circumstantibus atque ipso ministro foras exire jussis, ipse solus in sacello manebat; moxque ut solus erat ab arbitris remotus, non prius sanctissimam Eucharistiam sumebat pretiosissimumque

Sanguinem degustabat, quam duas frequentius circiter horas, plus minusve, in tanti tamque admirabilis Sacramenti contemplatione, maximo cum sensu pietatis, ingenti lacrymarum perfusione consumpsisset: tum Christi corpore ac sanguine sumptis, administro ingresso rem sacram perficiebat. Absoluto Sacrificio ita nonnunquam abstractus a sensibus apparebat, ut exanimatum magis quam viventem crederes. [& pro Officio recitandi Coronam.] Concessit præterea Philippo hic idem Pontifex, ut ab Officio divino recitando, propter frequentes ægrotationes & ecstases, abstineret, ejusque loco Coronam recitaret: verum ille æger, medicis ei divino Officio Horisque Canonicis nominatim interdicentibus, Coronam recitabat: sanus, numquam permissa uti voluit licentia; divinum Officium, ut nunc est, perpetuo recitavit.

## A. Æt. 67

[151] Anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo, mulier primaria, cum in gravissimum morbum affecta jam ætate incidisset, unus ex propinquis vereri cœpit, [ægram, quam invito consanguineo visebat,] ne femina Patres Congregationis bonorum suorum heredes institueret. Ægram visebat Philippus, qua erat caritate, quotidie; (ejus enim Confessiones audiebat) non amore pecuniarum, ut propinquus putabat, sed ejus salutis desiderio. Interea cum ille, vehementiore suspicione solicitus, Philippum pecuniam, non animam quærere cogitaret; cogitatioque homini nullam partem neque diurnæ neque nocturnæ quietis impertiret, minis beatum Patrem a proposito deterrere constituit: quibus demum si nihil proficiat, non introitu solum ad ægram, sed omnino aditu prohibendum censet. Sed frustra fiunt omnia: servi enim Dei, quamquam apud se ipsos abjecti, in divinis tamen negotiis agendis mirum in modum fortes sunt. Ergo Philippus, in proposito susceptoque consilio permanens, ut erat animo forti, quæ sibi objiciebantur pericula

contemnens, singulis diebus semel atque iterum ac sæpius ad ægram accedebat; in cujus cubiculum invitis custodibus penetrabat, nulla alia re adversus viri furorem nisi divina fiducia armatus. Quodam die ad eam de more pergens, ab alumnis monetur, ne certissimo sese periculo objiciat. Feminam, inquit ipse, ut ejus animæ prosim inviso: id autem operis, occidant me, [convalituram, ipsum moriturum prædicit.] non intermittam. His illi auditis, rogant iterum, ab incepto desistat; serviendum tempori necessitatique parendum tradunt. Ille denique, Numquam, jam dixi vobis, desistam, quin feminam visam: interfici hanc ob rem haudquaquam timeo: illud porro sciatis velim, & ægram, quamquam morti proximam, e morbo convalituram; & propinquum, etsi optime valet, e vita brevi cessurum: idque, uti prædixerat, contigit.

[152] Eodem anno, Junio ineunte, Joannes Manzolius Florentinus, ex antiquioribus Philippi alumnis unus, in gravem mortiferumque morbum inciderat. Morbo indies ingravescente, [quem sibi supervicturum prædixerat,] ventum jam erat ad extrema; deserto a medicis nulla spes salutis suberat. Ergo sub vesperum Oleo sancto inunctus, Joanni Baptistæ sororis filio mandat, Philippum roget, ut Sacerdotem quamprimum mittat, qui sibi morienti assideat. His dictis, beato Patri, quasi coram adesset, toto pectore sese commendat; idque eo libentius, quod memoria retinebat, eumdem prænuntiasse, se ei superstitem futurum. [moribundum in vivis orando retinet,] Mira res? Etsi ille animam agebat, vitæ tamen non amittebat spem: eoque hæc secum cogitante medici accedunt, qui mortem illi instare ex venis aliisque signis percipiunt; eoque hominem deductum, ut nulla spe salutis in horam viveret; propinquos de parandis rebus ad funus necessariis admonent. Accedit interea Sacerdos a Philippo missus (is erat Mathias Maffeus) qui moribundi animam, Christianis mysteriis munitam, assiduis precibus Dei Sanctorumque tutelæ impense commendat. Vix jam

hora abierat, intra quam ægrum moriturum prædixerant medici, Hieronymus scilicet Cordelius & Vitus; cum ille, oculis in parietem, qui erat lectulum juxta, defixis, hæsit diutius. Quod ubi cernunt adstantes, eum ut mortuum lamentari incipiunt, candela de more signant: alii alios intuentes inter se dicebant; Ecce moritur, ecce spiritum efflat. Cumque durante tractu ac lentitudine mortis, defectus jam viribus neminem prorsus agnosceret sentiretque nihil; Mathias domum redit, Philippumque adiens, eidem Manzolium ultimis jam appropinquasse exponit. Quibus ille auditis, quod reliquum erat noctis in oratione consumpsit. Auditæ preces: ea siquidem nocte moribundo melius fuit. Dulci enim sopore corripitur, dormit ad horas duas: experrectus clara voce adstantes evocat, cibum petit, animi corporisque vigorem recuperat. Interea minores custodes Misericordiæ Sodalitii, luce vix apparente, domum Manzolii, quem vita functum acceperant, petunt: corpus sibi ad lavandum dari rogitant: sed ubi audiunt eum non modo non mortuum esse, sed ne periculosum quidem, ut qui vitam ea ipsa nocte in tuto collocarat, admiratione complentur; nec dictis fidem habuere, donec suis ipsi oculis illum melius habentem, expedita lingua loquentem, viderint.

[153] Illud hic annotatu dignum. Mittit Philippus eumdem Sacerdotem Mathiam summo mane Manzolium visum; quo abeunte venit ad eum Montes Zazzara, ut illum de ejusdem obitu admoneret: [& aliis mortuum asseverantibus,] cui & dicere cœpit, Amici, Pater, unice mihi cari jacturam feci: Joannes Manzolius supremum diem priore nocte explevit; & ecce tibi signum, Misericordiæ Sodales ad funus convocati sunt. Hæc vix ille dixerat, cum Philippus; Manzolius, inquit, non modo non obiit; sed ne hoc quidem morbo obibit. Redit interim Mathias, qui rogatus a beato Patre quomodo Joannes Manzolius haberet, Decessit, inquit. Et ille, Haud verum dicis, vivit ipse; propera ergo, ad eum iterum perge; quid

stas? quid cessas? Sed cum Sacerdos jussa exequi cunctaretur, quod diceret se a Manzolii familiaribus de ejus obitu admonitum esse; instat acrius Philippus, urgetque ut mandatis pareat. Abiit ille: in itinere hæc animo volvebat: [vivere affirmat absens:] Quid sibi vult ist haec reditio? Frustra Manzolii domum repeto; iterum audiam quod semel audivi, Joannes obiit. Haec dum ille cogitaret, ad ejus ædes pervenit: ingressus cubiculum, moribundum hominem, non modo vivum, sed optime habentem expediteque loquentem, circumstantes noscitantem, offendit, miratur. Reversus ad Philippum, quod vidit, narrat; eum Manzolii nomine salutat. Ceterum, ut ad rem nostram redeamus, accedunt medici ad Manzolium a domesticis revocati; quamquam initio, quod eum mortuum putarent, venire renuebant. Ex pulsu arteriarum extemplo certam indubitatamque spem valetudinis admirabundi concipiunt; Miraculum, inclamant, miraculum; in singula momenta levius Manzolium habere profitentur. Neque hic stetit res, haud multo post, magnis indies virium incrementis, plane convaluit. Produxit is vitam ad annum hujus seculi nonagesimum septimum, obiitque paulo plus quam biennium post beatum Patrem.

[154] Nicolaus Lilius, nostræ Congregationis Sacerdos, vir cum multis virtutibus excellens, [discipulum in morte luctantem cum dæmone,] tum maxime sui despicientia, periculose ægrotabat, tantaque apparebat vis morbi, ut mors instaret. Visebat eum assidue Philippus, cui ob singulares virtutes carus admodum erat, atque ad pugnam contra diabolicas infestationes incitabat. Accidit autem aliquando, ut, cum ille supremis appropinquaret, ab adversario variis modis impugnari cœperit; id autem hac occasione ad nostram permanavit notitiam. Sacrum faciebat Philippus in privato sacello, cum Patribus cibum sumentibus strepitus super fornicem triclinii audiuntur. Proximus erat is locus, & cubiculo ubi æger jacebat, &

sacello ubi Philippus salutares Hostias divinæ Majestati immolabat. Ergo dum hi strepitus fiunt, ex Patribus aliqui tonare credunt; alii, quasi lapides pergrandes maximi ponderis super fornicem triclinii summa vi traherentur, audiunt; strepitus ad singulorum aures haud pervenere: audiunt ex Sacerdotibus, Petrus Consolinus & Prometheus Peregrinus. Inter strepitus Philippus, qui pro ægro tum precibus insistebat, ministros advocat; Consolino, qui primus accesserat, Ad Nicolaum, inquit, perge quantocius, ut quamprimum quidquid de illo est certo sciam. Advolat is confestim, eoque ubi venit, moribundum Sacerdotem junctis manibus, hilari serenoque vultu dicentem reperit; Gratias agamus Domino Deo nostro; [mirabiliter juvat,] accessit, recessit, victus est. Quibus quidem verbis, quæ identidem repetebat, videbatur innuere se cum diabolo, cujus aspectum vitare nequiverat, dimicantem, a Philippo mirabiliter adjutum, ejusdemque opera ab illius furore minisque liberatum. Beato deinde Patri eum adeunti, Hem, Pater mi, dixit, quid quæso causæ fuit, quod te hactenus non noverim? Cum morior, nunc, qui homo sis, noscere incipio. Ceterum de hoc, quoniam vir fuit spectatæ per plures annos in Congregatione integritatis, aliqua digna, [virum sane optimum.] quæ mandentur litteris, narrabimus. Fuit hic præter cetera pietati ita deditus, ut vocatus a Deo nihil habuerit antiquius, quam oblivisci populum suum & domum patris sui. Propinquorum adeo oblitus erat, ut ne minimum quidem de illis cogitaret. Hinc fiebat, ut eorum litteras, e Gallia Romam allatas, non modo non legeret; sed fasciculum etiam, ut erat ligatus, abjiceret in ignem. Orationi deditus erat; obedientiam ita amabat, ut nemo magis; sui ipsius despicientia excellebat. In Confessionibus audiendis multus assiduusque; pietate in Deum & caritate in proximum flagrabat; de se ipse demisse abjecteque sentiebat; Cœnobium B. Franciscæ Romanæ omni fere tempore dulciter ac sine querela rexit; diem obitus sui, priusquam lectulo decumberet, prævidit,

prædixit; morti proximus, Sacramentis Ecclesiæ munitus, supremum diem maxima cum significatione pietatis explevit, eodem, quem diximus, anno nonagesimo primo, XVIII Kal. Julias.

[155] Hoc etiam anno XI Kal. Augusti, P. Desiderius Consalvus, Ordinis S. Dominici, in gravem morbum incidit; morbum pestifera febris secuta est, febri phrenesis accessit. Jacebat æger in lecto, vi mali victus, &, [Minus ægrum moriturum, alium victurum prædicit:] si medicis crederes, nulla spe salutis. Eo interim ad finem properante, evocatur Philippus ad P. Franciscum Bencinum, graviter itidem ægrum, sed non ad desperationem medicorum laborantem. Qui mox, Is, dixit, ex hoc morbo non convalescet; tum Patrem Desiderium adiens, Bencinus, iterum ait, praesenti ægrotatione morietur. Illud his subnectam. Vixdum Desiderii cubiculum attigit, cum ad se æger revertens, tanto confestim gaudio ex sola viri præsentia repletur, ut sibi ipse sanus jam esse videretur. Neque eum opinio decepit: Philippus namque, manibus super illo impositis, Confide, dicebat, brevi convalesces. Nec mora. Æger delirio, phrenesi, & somnolentia solutum se animadvertit: febricula demum, quæ ex morbo reliqua erat, liberatur. Is itaque cum a media morte ad vitam revocatus esset, ab amicis dici cœptus est, non jam Desiderius, sed Lazarus redivivus: quo vocabulo in hunc usque diem a quibusdam nominatur. Joannes Comparottus medicus, qui utrumque curabat, ut prædictioni eventum respondisse vidit, Philippum ut Dei amicum magis magisque venerari cœpit; P. Desiderio salutem divinitus redditam, beato viro pro eo orante, affirmavit; simulque adjecit, ingentis admiratione affici cogitantem, P. Bencinum, de cujus salute medici haud desperarant, diem obiisse; & P. Consalvum, qui omnium opinione mortuus credebatur, contra omnem medicæ artis rationem, e morbo evasisse incolumem.

[156] Femina Princeps eodem anno, Augusto mense, ad ultima summa vi morbi adducta venerat; [citam mortem ægræ impetrat:] extremaque etsi patiebatur, signa tamen apparebant in ea, quæ seriorem mortem denuntiarent. Hanc Philippus, cujus pectus flagrabat caritate, visit; cumque paulisper pro illa divinam precatus esset clementiam, inde nescio quem ægrotum visum abiit. In itinere secum ipse, Heu feminam! frequenter dicebat, Heu auxilio indiget! Res sua postulat, ut ei opem feramus. Ad plateam S. Mariæ ad Martyres ut ventum est, Revertamur, iis qui secum erant, ait, ad moribundam: senserat enim divinitus se ad eam, cum diabolo forte dimicantem, revocari: quam reperit eodem prorsus modo habentem, ut antea; crederes eam, egregie adhuc robustam, ad alium saltem diem spiritum ducturam esse omnino. Tum Philippus, ut feminæ subveniat, quibusdam qui ejus insidebant lectulo foras exire jussis, in moribundæ faciem primum semel atque iterum exuflat; tum preces pro ea ad Deum fundens, ipsamque sermone de rebus divinis perbrevi confirmans, in hæc tandem verba prorumpit; Jubeo tibi, anima, Dei nomine, ut ex hoc corpore egrediaris. Quibus dictis, extemplo mulier (cunctis qui aderant stupentibus, factumque initio non credentibus) spiritum efflavit. Hoc ipso, opinor, anno, mense Octobri, accidit Victoriæ Varesiæ Romanæ, ut ingenti dolore correpta in læva scapula, eo tam acerbe opprimeretur, [aliam sanat.] ut anhelitum trahere vix posset; nec noctu conquiescere, nec in lecto decumbere. His in angustiis B. Philippi memor, ad ejus iterum opem confugit, enixeque rogat præsenti se morbo eripiat. Nec irrita: Philippus namque affectam mox partem pugno percutiens; Abi, inquit, ex morbo plane convalesces, Mira res! Victoriæ extemplo melius fuit: vixque domum, quam nostris ædibus proximam habebat, pervenit, cum in statum valetudinis pristinum restitutam se animadvertit.

[157] Illud hic attexam, quod Gregorius XIV, & Cardinalis & Pontifex, [Amatur a Gregorio XIV Papa,] Philippum semper plurimi fecit, dilexit unice, magnamque ex ejus præsentia capiebat lætitiam; eumque præterea & læto semper hilarique vultu excipiebat, & peramanter amplectebatur, nec permisit unquam eum coram se esse, aut secum de quavis re agere, nisi scabello considentem atque operto capite. Quodam die, cum de more Pontifex in ejus rueret amplexus, me præsente, in has illico erupit voces: O te vere felicem! tu quidem, Pater mi, sanctitate nos vincis; quamquam nos te (quod Christi vices in terris gerimus) dignitate & potestate superamus. Amplissimi S. R. E. Cardinales, qui eo Pontifice magna Philippum observantia colebant, quique simul ejus delectabantur consuetudine, hi fuere, Gabriel Card. Palæottus, Fr. Michaël Bonellus Alexandrinus, Julius Antonius Sanctorius, Alexander Medices, Augustinus Valerius, Vincentius Laureus; præter hos Hippolytus Card. Aldobrandinus, major Pœnitentiarius, qui hodie tanta cum sanctitate ac prudentiæ laude Ecclesiæ gubernacula tenet, Clementis VIII nomine honestatus; Hieronymus de Ruvere Archiepiscopus Taurinensis, Scipio Gonzaga, Federicus Borromæus, Joannes Franciscus Maurocenus, Augustinus Cusanus, Guido Pepulus, Paulus Camillus Sfondratus, Octavius Paravicinus, & alii. Verum Philippus, in magna quamquam semper auctoritate & existimatione apud Summos Pontifices, & Amplissimos Cardinales, & Principes viros fuit; his tamen ille numquam elatus honoribus, utpote qui caduca omnia contemneret, de sempiternis honoribus sempiternaque gloria, cujus vehementer cupidus erat, assidue cogitabat. Hæc de rebus a B. Philippo gestis Gregorio IIII. Jam de iis quæ ab eodem facta sunt Innocentio IX, qui Pontifex creatus IV Kal. Novembris, anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, sedit menses duos.

[158] In exitu hujus anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi quidam, cui Matthæo Guerræ nomen, Romam venerat (erat is eximia erga Deum pietate) hospitio exceptus fuit a nostris, [Cogitationem hospitis perspicit:] Philippo ad Confessiones utebatur: de ejus enim sanctimonia magna & fama & auditione acceperat, illud autem interim contigit. Erant vesperi apud beatum Patrem viri aliquot nobiles ac primarii; hos cum ille, qua erat animi comitate, more suo festive & urbane tractaret, unaque cum ipsis modeste etiam quandoque subrideret; passus est ex his hospes nescio quam animi offensionem, dicebatque secum ipse; Hic si ea esset sanctimonia, qua dicitur, aliter vitam ac facit institueret, vitio dans quod virtuti tribuebant alii. Interim cum jam dilucesceret, beatum virum adit; delictaque confiteri aggressus, quod de eo vesperi secum agitarat, silentio transmittit. Intuetur hominem Philippus; ipsumque ne ullum in Confessionibus faciendis delictum reticeat, [futuri Pontificis nomen discit.] etsi leve sibi videatur, admonet. Quibus dictis, Tuum erat, adjecit, quam de me heri vesperi offensionem habuisti, aperire; eique rem totam diserte explicuit. Stetit ille his auditis stupore defixus: cogitatum aperit, Confessionem peragit, culpæ veniam petit. Illud de beato Patre hic mirabile adjiciam, cum locum aptiorem non compererim, quod Romana Sede Pastore orbata, semper ferme, nunc dormiens, nunc vigilans, nomen illius, qui in Summum Pontificem eligendus erat, maxima voce pronuntiari audiebat: quam rem paucis admodum viris aperire consueverat. Sed ab Innocentio, qui Pontificatum gessit bimestrem, veniamus ad Clementem VIII, hodie viventem, qui ei subrogatur tertio Kal. Februarias, anno salutis humanæ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo.

## CAPUT XIV.
## Annus Christi 1592 & sequentes duo.

[159] Petrus Philippus Lazarellus ecclesiasticum Beneficium ab Innocentio nono obtinuerat: qua de re cum Apostolicas litteras, Summo Pontifice ex hac luce sublato, conficere non potuisset; Clemente Octavo in demortui locum suffecto, [Sanctus cogitatam caedem impedit,] omni ope nixus est, ut eam rem expleret; sed libello supplici (ut is opinabatur) a nobili præpotentique viro retento, quo id Sacerdotium in alium transferretur, re desperata cogitare cœpit de nobili illo viro sclopeto occidendo, jamque a Sacro faciendo divinoque Officio recitando cessaverat. Hoc itaque animo cum esset, venit Dominico die mane ad nostram ecclesiam: ibique e regione Philippi procumbens in genua, occultiore vi se sensit impelli, ut eum adiret: ejusque pedibus, nesciens quid ageret quidve sibi vellet, provolutus, nullum loquebatur verbum, nullam edebat vocem: mutum eum crederes. Hic beatus Pater sinistram viri aurem manu leniter apprehendens, Tu, inquit, ærumnis premeris, an non ita est? Cui ille, Sic, Pater. Bono animo sis, [prædictione futuri:] subjecit illico Philippus, intra quindecim dies hac solicitudine liberaberis. Quibus ille auditis ingenti gaudio perfusus, bonæ spei plenus, lætus inde se subduxit: intraque præfinitos dies ea molestia præter omnium expectationem liberatus, Beneficio ecclesiastico, de cujus spe deciderat, confectis ea de re litteris, donatur. Eodem anno Hieronymus Pamphilius, [desperatos ægros victuros prædicit.] e prima nobilitate vir, Rotæ Auditor, cum ita graviter ægrotaret, ut ad desperationem medicorum laborare cœpisset, a Philippo Aprili extremo invisitur. Qui hominem benigne amplexatus, timorem omnem abjiciat monet, morbum brevi discussum iri affirmat, pollicetur. Neque abfuit dicto fides: quippe ille haud multo post, sano vegetoque corpore, surrexit e lectulo. Hic autem non prætermittam ne illud quidem, observatum frequenter a multis fuisse, ægros, de quibus medici desperarant, pristinas recuperasse vires, beato Patre eos e morbo evasuros

pronuntiante: contra, de quibus medici nil suspicabantur mali, eodem annuente e vita cessuros, naturæ debitum exolvisse.

[100] Puellæ annorum novem, Catharinæ Ruissæ nomine, crustulæ quædam cacoethæ, hoc est mali moris, nares occuparant, non absque pravæ luis suspicione; quippe cum domo nuper exceptus fuisset, qui eisdem infectus pariter laborabat. [Sanat crustulas narium incurabiles:] Puellæ medicamentis succurritur, sed certe incassum omnia: nam crustulæ, quamquam mundari ex intervallo videbantur, novæ tamen confestim ejusdem generis in naribus nascebantur. Cumque per integrum annum hoc morbi genere oppressa jacuisset, nec medicamentis sanari posset; a matre ad Philippum hoc ipso anno, Aprili mense vel Majo, adducitur. Is ubi puellam vidit, affectas mox nares manu leniter contrectans; Filiola dicebat, nullus tibi deinceps ejus generis morbus erit. Nec mora; Catharina confestim habere melius cœpit, brevique post usque adeo integram recuperavit valetudinem, ut ea deinceps ægrotatione neutiquam laboraverit. Hoc etiam anno, [quandam monet de cito moritura sorore.] mense Augusto, venerat ad Philippum Victoria Ciba, ut animum sacramento Confessionis expurgaret. Cui mox ille; Quampridem ait, sororem tuam visisti? Jam dudum, respondit. Et ipse, frequenter visere eam: futurum enim est ut brevi supremum diem expleat: Erat hæc virgo Deo sacrata, cui Victoriæ, ut sorori, nomen fuit: quæ relicto seculo cœnobio B. Franciscæ Romæ se addixerat. Ea itaque, optima quamquam tum utebatur valetudine, quiete libereque vivebat, vitæ annum alterum & vigesimum agens; repentino tamen morbo oppressa, intra mensem, nempe XIII Kalendas Octobres, diem obiit extremum.

[161] Eodem itidem anno, IX Kalendas Septembris, dati fuerunt sub Patrum custodia adolescentuli quatuor,

[Obstinatos Iudæos convertit,] iisdem parentibus geniti, religione Judæi, obstinato prorsus animo, Hæbreorum ritibus & superstitionibus addictissimi. Hos Philippus ubi obstinatiores vidit, Christo haud ita multo post nomina daturos prænuntiavit: res autem hoc gesta modo. Quodam die sub horam noctis primam, cum in Judaica superstitione obfirmato quam numquam antea animo perstarent, in eoque perseverantes quod in patria vellent atque avita religione mori, omnemque præterea qui haberetur de Christo sermonem auribus respuerent; non modo superbæ eorum obstinationi non cessit beatus Pater, sed inflammari etiam se sensit magis ad eos Christo adjungendos. Illos itaque hortatur, [pro iis sacrificans:] Deum enixe orent, ut eos veritatem edoceat: & simul adjungit, eumdem se postero die in ipso Sacrificio pro illorum conversione rogaturum, quem preces suas auditurum sciebat. Die vero insequenti mane, cum ejusdem essent sententię, obstinatioreque animo Judaicam legem profiterentur, improviso, cum nil minus expectaretur, Philippo Sacrum faciente, vi divina ad Christianam religionem impulsi, Petro Consolino Sacerdoti Christianos se fieri velle exponunt. Hi postea, de rebus fidei optime eruditi, a S. D. N. Clemente VIII, in Basilica Lateranensi sacro baptismate abluuntur; mutatisque nominibus, natu maximo Alexander, alteri Augustinus, tertio Hippolytus, postremo Clemens nomen imponitur.

[162] Virgilius Crescentius, nobilis Romanus, hoc ipso anno, Novembri mense ægrotare cœpit: morbus initio ita levis videbatur, [duorum mortem prædicit.] ut ne medicorum quidem judicio mortifer haberetur. Interea rogatus Philippus ut pro illo Deum oraret, apertissimis indicavit verbis, ægrum ejus vi morbi e vita cessurum omnino. Sed cum iterum urgeretur, ut morbum ab eo precationibus expelleret: Voluntati divinæ, inquit, obsequendum in omnibus; id enim vult Deus, ut is hoc

morbo moriatur; ergo nos ad ejus voluntatem conformemus. Mira dicturus sum: æger paucis post elapsis diebus ea ægrotatione decessit. Non invitus huic subnecto ejus conjugem Constantiam. Hæc Philippo præsente (ut qui eam solaturus advenerat) id secum animo agitare cœpit: Vir meus affecta nondum ætate obiit; hic vero (Philippum dicebat) extremam quamquam ætatem attingit, vita tamen fruitur, vitam retinet. Tum Philippus, ejus mentis cogitata intuitus; Vir tuus, feminæ inquit, etiam nunc juvenis mortuus est; & ego, qui senex sum, in vita adhuc maneo: nonne vera loquor? quid taces? His illa auditis, miraculo attonita, obmutuit. Patritium Patritiæ gentis, eodem anno ac mense levissime ægrotantem invisens, illud monet, ut sacramentis Ecclesiæ se muniat, seque demum mortalem agnoscat. Sed cum id verbum tum illi tum domesticis durum nimis videretur (quandoquidem de ægri morte ne levis quidem suspicio erat) de Philippi consilio in aliud tempus differendo cogitari cœptum est: sed beato Patre acrius instante, datum sibi consilium ægrotus tandem amplectitur: qui sacramentis Ecclesiæ munitus, rebus humanis eripitur.

[163] Eo ipso anno inciderat Philippus Novembri mense in continentem febrim, [æger miraculo convalescit,] sine remissione gravem, ardentem, atque periculosam, quæ quadraginta totos dies eum acerrime divexaverat. Invalescente indies morbo, cum putarent omnes eum non procul abesse exitio, integræ derepente firmitati præter spem restituitur. Id porro medici divinum fuisse miraculum, ætatis viri præsertim habita ratione, jurati publico testimonio confirmarunt. Illud quoque admirabile, quod Hieronymo Cordelio, uni ex iis qui eum ægrotantem curabant, accidit. Hic cum quodam die sub vesperum illum pessime habentem reperisset; Philippus, dixit, adeo periculose ægrotat, ut non longe jam absit a periculo mortis. Redit deinde postridie summo mane, quæritque

solicitus num bene haberet. Ei Philippus, qui de verbis illius nihil acceperat, seorsum ab aliis evocato; O Cordeli, inquit, non est mihi hic morbus, ut tua fert opinio, [uti prædixerat,] supremus: ex eo surgam. Hoc ipso tam gravi morbo detentus, certis quibusdam adolescentibus, quorum ille Confessiones frequentissime excipere solebat, facultatem numquam, multis ac justis de causis, dare voluit apud alios Confessiones peragendi: Expectate, dicebat, illis, parumper, quieto animo vivite, Natali die Domini nostri Jesu Christi ego ipse peccatorum vestrorum audiam Confessiones. Id, sicuti prænuntiaverat, contigit; ex eo enim morbo paulo post, medicis admirantibus (ut qui Philippum ante id tempus e vita cessurum dicerent) plane convaluit; eorumque Confessiones non modo, sed aliorum etiam, excepit audivitque. Observatum præterea fuit frequenter a multis, [sicut alias sæpe:] beatum Patrem ex gravissimis morbis, quorum vi peritissimorum judicio ad ultimum venerat vitæ discrimen, divinitus pristinæ incolumitati, humanis remediis nihil prorsus efficientibus, vel etiam non adhibitis, restitutum fuisse: eam porro rem medici, qui ejus corpus curabant, sacramento testantur. Videre erat etiam quandoque Philippum tam brevi ex gravissimis morbis ad integram corporis incolumitatem redire, ut medici, qui illum vesperi morti proximum offendebant, postridie mane omni prorsus morbo levatum reperirent. Illud quoque hic attexam, pro miraculo a peritissimis medicis habitum, Philippum devexa jam ætate, sive morbo affectum, sive viribus valentem, tam tenui cibo vitam tenere potuisse; idque supra vires naturæ, ac divinum prorsus miraculum fuisse jurejurando confirmarunt.

[164] In hujus anni exitu Claudius Nerius, civis Romanus, vir utriusque Juris peritia clarus in Urbe, [cujusdam scrupulos introspicit,] adeo magnis conscientiæ aculeis mali dæmonis impulsu torquebatur, ut eis impeditus

Eucharistiæ sacramentum frequentare non auderet. Hisce in angustiis Philippum consulere statuit, animo quod ille daret consilii prosequendi; multumque cum eo sermonem habens, quod dictum venerat reticens, omnia alia enarravit. Tum Philippus, qui rem totam divina revelatione prænoverat, rogare hominem cœpit, ut, siquid, quod aperire cuperet, in animo haberet, exprometet. Negat initio Claudius; instat iterum Philippus; negat ille, ut antea, forasque exire volebat; sed non permittit beatus Pater, qui ut animo opem ferret, ficta persona, quod ille secum animo revolvebat, aperit. Amicus mihi erat, dicere cœpit, qui ejusmodi scrupulo conficiebatur (eum ipsum referens, quo premebatur Claudius) cumque is nullam animo quietem capere posset, me consulere decrevit. Tum enarrans modum, [& dextre curat.] quo amicum ea solicitudine liberaverat, quasi aliud ageret, nunc amici, nunc Claudii nomine loquebatur: putares eum a Claudio de re sua jam antea plane eruditum fuisse. Qua ille denuntiatione perculsus, attonito mox similis efficitur, experimento discens id rescisse beatum Patrem, quod mortalium nemo præter se ipsum suspicari potuisset: domum vero reversus, expertam beati viri sanctimoniam, tum consanguineis, tum amicis enarrare non destitit.

## A. Æt. 78.

[165] Anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, cum quodam die precibus de more insisteret, dæmon, cujus studium sæpe fuit interpellare orantem, vestem ejus, quem ferre non poterat, sordibus aspersit. Eodem anno, mense Junio, Antonia Caraccia, Antonii Pasquini conjux, [Desperatam ab omnibus] effuso fœtu, repentino dextri lateris dolore corripitur: dolore increscente a domesticis in lectulo collocatur, eoque mirum in modum aucto, molestissima febri jactari cœpit: febri vero ac doloribus diu pressa, eo tandem devenerat, ut neutram in partem movere se posset. Ergo cum

quindecim circiter dies ita graviter afflictata jacuisset, nec quidquam ei prodesset quod a medicamentis proficisceretur; Antonio visum est ad Philippi opem confugere. Cui ille; Abi, inquit, Uxor tua e morbo evadet: quibus dictis illum dimisit. Sed cum morbus in singula pene momenta majorem in modum amplior fieret, ipsaque ægra omnes fere cibos haustusque stomacho fastidiente respueret, ullamque quietis partem neque noctu neque interdiu caperet; perrexit iterum Antonius ad beatum Patrem, quem mox etiam atque etiam rogare cœpit, ut periclitanti uxori, quæ sæviente atrociter febri proxime ad mortem accesserat, succurrere velit. Cui ille; Conjux tua, inquit, non modo præsenti morbo non morietur, verum etiam pristinum corporis animique vigorem recuperabit: abi ergo domum, [tactu sanat.] ego te mox sequar. Eam itaque adiens, quid morbi sit, ubique hæreat dolor, rogitat. Quibus demum cognitis, manu dolenti parti admota, tam ingenti lætitia eo confestim attactu ægra perfunditur, ut, ubi esset, vix sciret præ gaudio. Philippus interim, quod Deus per ipsum effecerat sentiens, inde se subduxit, his verbis mulierem in discessu solatus, Læta jam esto; ne quidquam vereare. Vix ille abierat, cum ea præter morem cœpit sine ullo adminiculo in utramque se partem movere, periculum virium factura; quod ubi facere aggreditur, & deperditas vires se recuperasse, & tota febri totoque dolore solutam se animadvertit; virumque suum gaudii plena evocans, ei miranti sanam sese ostendit.

[166] Cum privatæ vitæ desiderio teneretur Philippus, atque grave sibi videretur, [Petit a Præpositura absolvi,] qua erat humilitate, aliis imperare; Francisci Minorum Patriarchæ exemplum secutus, Præpositi munere omnino se abdicare constituit. In hanc itaque ille sententiam ingressus, Patribus, qui assistere in deliberationibus solerent convocatis, quid in animo fixum haberet enuntiat; rogatque, ut, nulla sui habita ratione, Congregationis

utilitati prospiciant omnes, cum debeat unusquisque suam voluntatem ad publicam causam aggregare; & quamprimum novum deligant Præpositum Generalem, qui cunctis præsit, virum se & animo & corpore firmiorem: Ego enim, inquit, Patres, senectute jam confectus, ad res agendas non satis mihi aptus videor: haud ergo æquum opinor, hoc a me diutius ferri pondus debere: unum itaque etiam atque etiam oro eligatis, qui mihi fessa jam ætate viro succedat; date mihi, quæso, ut liber ab onere, vacuus a curis, rectius imminenti morti me comparem. Sed ubi animadvertit, quibus rebus putabat mentes Patrum ad suum imperium flectere, illis ipsis studia eorum vel maxime incendi, ne voti compos efficeretur; Augustinum Cusanum & Federicum Borromæum Cardinales rogare mox cœpit, [intercedentibus Cusano & Borromæo Card.] id suo nomine cum Patribus agerent, ut se Præpositi munere abire permitterent: qua re cognita, eam illi provinciam libenti animo suscepere. Pridie itaque Nonas Julias convocatis Patribus, quibus ferendi suffragii jus erat, exponunt iidem Cardinales, Philippum, quam suppliciter potest, rogare, sibi primum fessa jam ætate Præpositi onere abdicare liceat; tum ut Congregatio Cæsarem Baronium, ex antiquioribus filiis unum, Præpositum deligat: ad quæ Summi Pontificis voluntatem accedere fatebantur, ut qui totam rem approbaret, & eundem Baronium Generalem Præpositum declarandum fore censeret. [idque impetrat commendatque Baronium:] Baronius, ut hæc audit, Displicet mihi vehementer, dicere cœpit, nec sane sine dolore loquor, id Parentis nostri consilium. Tamen cum eo ipse onere levari tantopere cupiat, idemque Amplissimi Cardinales suo nomine petant, accedatque Sanctissimi voluntas, ejus desiderio haud repugnare amplius censet Congregatio.

[167] [quo sic assumi recusante,] Philippo interim in proposito susceptoque consilio permanente, decernunt Patres, ut novus Præpositus eligatur; cumque sua quisque

responsa dedisset, suumque in schedula suffragium reliquisset; Baronius, quod initio jam dixerat, antequam reliqui Sacerdotes suam protulissent sententiam, non posse æquo animo pati, adjecit, se eligi Præpositum Generalem; negatque munus, viribus impar suis, ulla ratione subiturum, nisi in se eligendo modus Congregationis decreto definitus servetur; liberisque Sacerdotum votis relinquendum esse, quem vellent, eligerent; idque se quanto maximo poterat studio a Cardinalibus, qui coram aderant, atque ab ipso Philippo efflagitare; fore enim ut Sanctissimus Dominus noster haud quaquam repugnaret, si nostra nosset decreta. Cum hæc & alia multa in eam dixisset sententiam, ejus opinionem qui adstabant Sacerdotes secuti, [per secreta suffragia] rem precibus Deo commendandam putant. Patres Neapolitanæ domus, ut suam ipsi ferant sententiam, per litteras de nova Præpositi electione admonere decernunt, atque his ita constitutis cœtus ille dimittitur. Interea, rebus omnibus optime digestis, decimo Kalendas Augustas, qui dies B. Apollinari Episcopo & Martyri anniversario ritu sacer est, assiduis jam precationibus & sacrificiis eam in rem adhibitis, dato signo, in unum locum convenere Patres; & Philippo in proposito perseverante, de novi Præpositi electione agi cœptum est. Cumque suum quisque suffragium in schedulam misisset, suffragiis tandem legitime extractis recitatisque, Præpositus renuntiatur Baronius, nemine præter ipsum Baronium discrepante, idque ingenti omnium lætitia, quod beato Patri dignum, qui succederet, reperissent. Præfuit is toti Congregationi maxima cum laude tribus plus annis, [idem eligitur.] suique officii munera, gravissimis etsi curis impeditus, summa semper diligentia atque dexteritate executus est. Expleto triennio, ubi iterum de more ad suffragia ventum est, idem prorsus Patrum consensus in eo confirmando extitit, qui olim fuerat in eligendo. Sed vix hæc facta sunt, cum a Sanctissimo Domino nostro Clemente VIII, ut superius

attigimus, in Cardinalium numerum una cum Francisco Maria Taurusio Archiepiscopo Avinionensi, collega ac sodali suo, cooptatus est. Baronio Cardinali creato, Angelus Vellius, summo omnium consensu, secundus a Philippo sufficitur, anno redempti orbis millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Junio mense.

[168] Ea erat Philippus sanctimonia, ut Angelorum cantibus symphoniisque frueretur. In obitu Helenæ Maximæ, tredecim annos natæ, [Philippus Angelorum cantus audit in obitu pia virginis,] eos suavissime concinentes audivit. Fuit hæc virgo in Dei amore mire fervida, vitam suam arbitrio Confessarii moderabatur in omnibus, Christi mortem maximo cum sensu pietatis assiduis propemodum lacrymis deplorabat, ter per hebdomadam sacratissimo Angelorum pane sese reficiebat, in communicando maximam lacrymarum vim profundere cernebatur, orationi assidua erat, crucem suique ipsius contemptum amabat, patiendi pro Christi gloria cupidissima erat. Moribunda ubi sacrum Viaticum sumpsit, quod Baronius ministravit, se totam sanctissimo Christi sanguine perfundi propriis vidit oculis. Demum (ut beato Patre referente cognovi) diem obitus sui prævidit, prædixit; cujus post corpus exanime ad ecclesiam nostram delatum, ibidem arca lignea inclusum, sepulturæ mandatum est: incidit ejus mors in diem V Idus Septembris, Christi anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio.

## A. Æt. 79.

[169] Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Maio mense, Philippus vix a continenti febri, quæ vigintiquinque circiter dies eum divexaverat, relictus fuerat, cum e renibus gravissime laborare cœpit. Dolor infirmo tantus tamque acerbus erat, [& pene moribundus] ut nullam partem quietis eum capere sineret: cumque is

dolor decem aut duodecim circiter horas eum tenuisset teneretque adhuc, urinaque non redderetur, actum esse de illius salute, insuper ipsum intra paucas horas e vita cessurum, non magis jam medici quam domestici pro certo habebant. Ergo in tanto vitæ periculo cum esset viribus destitutus, ut jam non vivum, sed mortuum crederes; divinitus repente factum est, ut, Angelo Victorio & Rodulpho Silvestrio medicis præsentibus & inspectantibus, quo evidentius esset miraculum, pristinæ incolumitati restitueretur. Erant tum apud beatum Patrem, præter medicos de quibus diximus, Alexander Alluminatus, Franciscus Zazzara, & hujus historiæ Auctor. Rem ut se habuit, narrabo. Vix Philippus, sed ne vix quidem movere se poterat (ea erat virium imbecillitas) vix loqui ut audiretur; cum hora diei prima & vigesima, alta voce, ut omnes audire possent, [a B. V. Maria visitatus,] clamare cœpit; Qui aliud præter Deum cupit fallitur: Qui aliud præter Deum amat, turpissime labitur. Et hæc cum semel atque iterum pronuntiasset, confestim, quasi deperditas vires recepisset, toto corpore sublimis, nulla vi sustentatus, cunctis qui aderant simul admirantibus, simul collacrymantibus, ferri cœpit; & velut aliquem, sensum omnem oculorum effugientem, amplecteretur, clarissima voce, uberrimis lacrymis mixta, dicebat: O carissima mihi Virgo! tu, tu ad me venisti, ut me his doloribus liberares? O Virgo aspectu pulcherima, venustate affluens & decore! & quis ego sum, qui dignus sim tua præsentia? Non certe, non is sum, in quem tanta gratia conferatur: nihil est in me, quod te ad me amandum alliciat; indignus prorsus sum qui abs te visar: quo meo merito factum, sanctissima atque optima Virgo, ut ad postremum famulum tuum venire ne graveris?

[170] [eamdem amplectitur,] Tum motans subinde manus, lacrymarum plenus, quasi Beatissimam Vrginem obviis ulnis amplecteretur, hisce vocibus assidue clamabat: O sanctissima Dei Mater! o omnium creaturarum, ut optima,

ita & pulcherrima! Et hæc cum effaretur, toto corpore, nullo fultus adminiculo, cubito circiter vel etiam plus eo sublimis, mirandum in modum attollebatur. Tum, O sanctissima Virgo (nobis audientibus) dicebat, o dulcissima Dei Mater! quo meo merito factum est, ut ad me veneris? In tuos ergo amplexus irruam optima Virgo, quæ ad me hodie venisti: & quid mihi impedimento erit, ne id faciam? Perstitit beatus in hoc tam alto excessu diutissime constantissimeque, sanctissimam Dei Matrem assidue perquam familiariter nominatim inclamans; tum quieti se tradens, [& subito convalescit:] quasi alienato a sensibus animo factus est. Ad se tandem ut rediit; Vidistisne (adstantibus ait) beatissimam Dei Matrem, quæ sua nunc præsentia omnem a me morbum depulit? Tum superiore se linteo tegens, uberrimas lacrymas quasi puer profundere cœpit: quibus tandem restinctis, medicos rogat, ne cuiquam, quod sibi ipsis præsentibus & inspectantibus contigerat, indicent. Illud quoque (neque enim omittendum videtur) plurimum, habuit admirationis, quod eodem momento, quo beata Virgo ei sese videndam objecit, pristinam ille confestim corporis salutem recuperavit. Verum cum adverteret post aliquanto in vulgus jam editum esse, sanctissimam Dei Matrem sibi ostendisse sese; ut erat homo tam suæ laudis inimicus quam qui maxime, in eo omnes nervos contendit, sanctissimos viros imitatus, ut hanc rem si non supprimere poterat, at saltem obscuraret. Sed frustra omnia: quandoquidem non defuere gravissimi testes, qui verum id visum fuisse ab ipsomet didicerint: quinimo, cui Philippi humilitas resque gestæ Sanctorum cognitæ sunt, is hominis artificium desinet admirari.

[171] [mortem unius prænuntiat,] Hoc etiam anno, Augusto ineunte, cum de Alexandro Crescentio, Philippo præsente, sermo fieret; Alexander, dixit, quamquam optime valet, brevi tamen e vita migrabit. Prænuntiationem viri mors, intra paucos secuta dies

(decessit enim XVII kalendas Septembris) comprobavit. Marcus Antonius Cortesellus, ex antiquioribus Philippi discipulis unus, ubi primum spiritum efflavit, beato Patri illico per quietem occurrit; apud quem cum duas integras fuisset horas, ipso tandem rem omnem conspiciente, Beatorum lumine fulgens cælum conscendit: [alios in cælum perferri videt.] obiit is hoc anno, mense Octobri. Neque hic finis istiusmodi mirabilium visionum Philippi; Federico enim Cardinali Borromæo, sibi egregie caro, aliisque honestis & gravibus viris paucis, de quorum virtutibus periculum fecerat, præclara sibi oblata occasione; multorum animas, dixit, cum alumnorum tum externorum, sæpissime ab se fuisse conspectas, luce clarissima radiantes, cæli beatissima regna conscendere.

## CAPUT XV.
## Extremus Philippi vitæ annus & sancta mors.

[172] Barsum, Archidiaconus Alexandrinus, Romam venerat anno hujus seculi nonagesimo quarto, [Patriarchæ Alexandrini legatum,] ut Ecclesiam Alexandrinam, ab hæresibus se purgari cupientem, Romanæ Ecclesiæ conciliaret: cumque res ageretur, Octobri mense mortiferum in morbum incidit. Is erat morbus ut æger sanguinem spueret, qui medicorum judicio ex ruptis venis capillaribus, pulmoni vel hepati junctis, exibat: accedebant ad hæc febris, tussis frequens, & spirandi difficultas, quæ ægrotum mirum in modum vexabant: [a sputo sanguinis periclitantem,] frequens tussis sanguinem extrudebat: nocturna præterea diurnaque vigilia premebatur: somnus, quod pessimum est, neque noctu neque interdiu accedebat. Cordelio interim de ejus salute dubitante, Hieronymus Vecchiettus, qui ægrotanti assidebat, ad Philippum confugit; & quem paratum jam ad Sacrificium & calicem tenentem in manibus invenit, rogat, Archidiaconi Alexandrini gravissime laborantis meminisse velit. Pollicetur ille se

oraturum pro eo. O rem dictu mirabilem! Ubi primum Deo Sacrificium offerre cœpit, extemplo æger (ut postea temporibus inter se collatis intellectum est) dulci corripitur somno, ut simul beatus Pater celebraret, & Archidiaconus post longam vigiliam dormiret; [post conciliatum ei somnum] dormivitque ad horas aliquot: somno experrectus melius habere sensit. Philippus interim absoluto Sacrificio; Barsum, dixit, e præsenti morbo surget: tum accersito Vecchietto; Archidiaconum, inquit, in ædes Federici Borromæi Cardinalis transferri cura quamprimum, ibi tantisper is maneat dum pristinam recuperet valetudinem. Hæc ubi ille audit, quid consilii caperet non satis sciebat: nam neque ægrum gravissimo confectum morbo commovere, quod id periculosum putaret, audebat; neque Philippi mandata exequi, nisi impetrata prius a Superioribus licentia. Consilii itaque inops excusare se cœpit; sed beato Patri acrius instanti urgentique obedire, quasi cælesti voce jussus, cogitur; illiusque fretus precibus auxilioque, ægrum rheda deportandum curat. Hic non prætermittam ne illud quidem. Egerat Philippus cum Vecchietto, ut non prius ad ædes Federici Cardinalis Borromæi æger, quam ad se adduceretur; id enim faciebat ipse causa sanandi illius. Nec irritus: [tactu sanat.] hominem enim arcte complexus ad salutem reducit; totus quippe tum æger, repentino sudore madefactus, viribus restitui se sentit, sputo sanguinis liberatur; quod si quid ejus post excrevit, id fuit quod jam antea in pectus descenderat, quod mittere opus erat. Tum Philippo jubente ad ædes Cardinalis Borromæi adducitur; in discessu rogat ille beatum Patrem, precibus, in quibus spem omnem collocaverat, apud Deum pro sui salute insistat. Annuit Philippus, omnia læta sperare certamque expectare sanitatem jubet. Non fallitur: æger paucis post elapsis diebus e morbo plane convaluit.

[173] Anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, [Leviter ægrotantis morbum novit] Februario

mense, cum vesperi instituto meo apud Philippum essem, nuntius venit, qui diceret, unam ex ancillis conjugis Cordelii me ad januam vocare, ut ejus nomine salutet & colloquatur: me interim ad feminam exeunte, in has Philippus voces confestim, ut ab his qui intererant didici, prorupit: O Cordeli, o Cordeli! Morietur is nunc jam sine dubio: & id mihi certum quod mortem obibit: tempus, quo ei moriendum est, ecce adest. Admirabantur adstantes, Philippum ita secum loquentem cum audirent; quandoquidem, ut quid femina vellet a nemine acceperat, ita ne Cordelium quidem in morbum incidisse; id enim nemo adhuc sciebat hominum, eo namque ipso die ægrotare levissime cœperat. Interim de recenti viri morbo admonitus Philippus, Cordelius, iterum dicere cœpit, diem obibit: [& mortem a se prædictam.] Cordelius ex hoc morbo non convalescet: adest jam ejus vitæ supremus dies, brevi interibit. Ei vero dicentibus qui aderant; Jam nunc, Pater, si periclitanti corpori auxilium ferri non potest, animæ vel saltem succurratur; Id libenter agam, aiebat, in id totus incumbam, ut spreta corporis salute laboranti animæ præsto sim. Haud sibi falsus: Cordelius eo morbo paucis post diebus occubuit. Quod sequitur non minus admirabile. Die quodam summo mane, cum Petro Consolino comitatus ad Philippum pergerem; vix cubiculum ingredior, in quod nullus fores custodiente me penetrare poterat, cum ille dicere cœpit; En Cordelius proxima nocte, hora tali (certam designavit) efflavit animam. Sed mirantibus nobis, qui tandem id rescire potuisset; notata hora, missoque confestim qui rem cognosceret, omnia beati Patris prædictioni respondere comperiuntur. Eodem anno Summus Pontifex Clemens, Paschalibus diebus, magnis chiragræ doloribus conficiebatur: [Papam chiragra liberat.] id ut Philippus cognovit, eum adiit; cumque illum de more amplecti vellet, ejusque manus prehendere; Subsiste, Pater, ei Summus Pontifex dicere cœpit, & ne quæso propius accedas; manus enim dolet mihi vehementer. Mox

Philippus, Non me inquit, morbi tædet, quod per eum licet tibi parumper curis vacare; sed doloris: ad ejusque manum adrepens, sua ei admota, totum confestim dolorem ab ipsa depellit.

[174] [Æger vires obtinet ad Missam faciendam:] Molestissima Philippus febri, eodem hujus seculi anno nonagesimo quinto, III Kalendis Aprilis, corripitur: incœpit febris ab horrore. Is tantus fuit, ut Augustinum Valerium Cardinalem, qui eum salutatum venerat, ne uno quidem verbo potuerit excipere. Inhæsit assidue febris totum mensem Aprilem: sed accensus ille cupiditate rei sacræ faciendæ, die Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, qui in Kalendas Majas incidit, pridie eorum natalem, tantorum Apostolorum opem implorat: nec frustratæ sunt eum preces; e lectulo exiliit, rem sacram peregit, adstantibus sacratissimum Christi Corpus præbuit: & hæc quidem omnia ea ille corporis agilitate faciebat, ut qui corpusculi imbecillitatem nossent, id satis mirari nequirent; sed a Domino vires, quod res erat, celso animo suppeditari censebant. Tribus post insequentibus diebus, non quo corporis imbecillitati indulgeret, sed ut medicis obsequeretur, a Sacro faciendo abstinuit. Sacrificii loco, ne iis ipsis diebus divino illo privaretur bono, Eucharistiam quotidie maximo pietatis affectu percipiebat. Exacto triduo, cum levius haberet, Sacrum medicorum voluntate agere cœpit: quod facere perrexit ad usque diem quartum Idus Majas, quo die, novo ac repentino morbo oppressus, eam summo mane sanguinis copiam derepente me adstante evomit, ut expiranti similis ac prope exanimis jaceret in lectulo, faciesque palluerit. Advocati medici, tactis venis aliisque inspectis, [rursus sanguinem spuens deficit,] actum de illo esse affirmarunt. Ergo cum vereremur, ne Philippus repentino moreretur; a Cæsare Baronio (Federico Cardinale Borromæo præsente & inspectante) Oleo sancto maxima celeritate inungitur: quo peracto cœpit Philippus paululum, animo sensim

redeunte, oculos allevare: quod cum adverteret Federicus Cardinalis, Alexandrum Alluminatum, qui beato viro ægrotanti assidere consueverat, monet, ut ex venis exploret, viriumne satis habeat, ut sacrum Christi Viaticum suscipere possit; quo mox cognito, ipsemet Federicus Cardinalis Christi Corpus pretiosissimum ad eum defert, [extremis munitur] Augustino Cusano Cardinale ceterisque e Congregatione Patribus ac Fratribus & aliis quamplurimis adstantibus, simulque commune damnum collacrymantibus.

[175] [cum maximo pietatis sensu:] Illud hic accidit memoria dignum. Vix Borromæus Philippi cubiculum ingressus erat, sanctissimum Christi Corpus in manibus gestans; cum ille, viribus quamquam omnibus destitutus, maxima illico voce lacrymarum plenus clamare cœpit, ut omnes obstupescerent; Ecce amorem meum, ecce amorem meum; hic ille est, in quo me oblecto: solum id est carum mihi: præbe ergo, præbe mihi amorem meum; præbe mihi cum quam celerrime. Et hæc quidem verba ea spiritus vi proferebat, ut adstantes ad lacrymas & admirationem excitaret. Cumque Federicus Cardinalis, Domine non sum dignus, de more pronuntiaret, eadem Philippus clarissima voce, manantibus præ dulcedine atque Christi desiderio ubertim lacrymis, repetebat, Qui tuo corpore pascar, dicens, dignus fui numquam. Sacro tandem sumpto Viatico; Medicum meum, [rursus sanguinem vomit] ait, hospitio excepi. Hac ipsa die sub vesperum ter quaterve sanguinem vomit, qui multus erat ac rubens: vomitum tussis subsecuta est: ex impetu ruentis sanguinis parum abfuit, quin æger suffocaretur. Viri constantiam admirabantur omnes, in summis enim ille doloribus, non modo non infracto animo propter magnitudinem morbi, sed confirmato atque renovato apparebat. Medicamenta, quibus utebatur, erant præter cetera cucurbitulæ: hæ enim sunt, in quas linamentum ardens conjicitur, ac sic earum os corpori aptatur,

imprimiturque donec inhæreat. Ceterum uno aut altero elapso die, [& per miraculum convalescit:] medicis ad eum mane venientibus; Abite vos hinc, ait, remedia mea medicamentis vestris potiora sunt; ubi enim misi a prima luce, qui variis Religiosorum familiis eleemosynas distribueret, ut pro me Sacrum fieret; continuo vomitus sanguinis mansit, dolor præcordiorum ac pectoris ex toto desiit, melius habui, deperditas vires recuperavi. Tum accedentes medici, ex venis sputorumque, quæ ante expuerat & quæ tum expuebat, dissimilitudine, illum pristinæ incolumitati restitutum, miraculo attoniti, fatentur: ex illoque die ad obitum usque, optima semper usus est valetudine. Continuavit viribus potens plures dies, rem sacram quotidie faciens, suorum Confessiones audiens; adeoque bene valebat, ut jure meritoque Patres ad opinandum inducerentur, eum ad aliquot annos spiritum traducturum: quod tamen, Deo ipsum derepente ad præmium evocante, non contigit.

[176] [mortem sibi instantem significat] Significaverat Philippus Francisco Zazzaræ, ætatis annum octavum & decimum agenti, plus triennio ante obitum, e se non prius e vita cessurum, quam ei, ad quem vitæ statum a Deo evocaretur, aperiret. Id beato viro adolescens in memoriam frequenter reducebat: cui ille, Ne animo angaris, respondere solitus erat; ego Deum pro te precor assidue; quod ipse de te mihi indicabit, id tibi ante obitum aperiam. Tu mihi temet tuaque omnia credidisti, ego fidem tuam non fallam. Mirum dictu! Quamquam Philippus ab eo tempore, ad usque initium anni nonagesimi quinti, frequenter ægrotavit, ut medicorum sæpe judicio mortuus crederetur; numquam tamen vel unum verbum ad adolescentem ea de re fecit: sed ubi e vomitu sanguinis convaluit; continuo, quodnam vitæ institutum amplecti deberet, explicuit: ea porro res in diem sextum decimum Kalendas Junias incidit, octo nimirum ante beati viri mortem diebus. Aliud afferamus

exemplum. Ex eo sanguinis vomitu pristinæ incolumitati restitutus, a nobili viro, Nero Augustini Neri filio, invisitur. Huic, de recuperata ejus valetudine lætanti, Ego ait, etsi præsentem morbum evasi, [discipulorum tribus,] optimeque habeo, tamen id filiorum gaudium breve erit: adest enim pugnæ finis, eritque obitus meus ejusmodi, ut cum contigerit, vix advertatur a quoquam, auditusque vix credatur, eritque initio inter dubia. Denuntiationi optime respondit eventus. Hoc ipso præterea morbo laborans, Germanico Fideli, cujus opera utebatur in multis, Satis, inquit, de me solicitus fuisti, satisque pro me laborasti, adest jam laborum finis. Tum manu eum prehendens, Quid intra paucos visurus es dies! mortem sibi imminentem his verbis significans: quandoquidem, paucis post elapsis diebus, ex corporis vinculis, tamquam ex carcere, lætitiæ plenus evolavit.

[177] Sed accipite illud, non minus, opinor, admirabile. Paulo deinde post, [& peregre profectum monet in somnis ut adsit;] cum eidem P. Germanico iter faciendum esset castrum versus, Carbonianum nominatur, non prius Urbe egreditur, quam sibi a Philippo fides daretur, se eum adventu suo Romam, vivum atque incolumem reperturum. His auditis rogitat; ad quem diem reditus erit. Cui ille, Quam tardissime, pridie ejus diei, quo Augustissime¸ Eucharistiæ sacrum diem ritu anniversario colimus. Tum Philippus, cum paulisper, quasi cogitans quid respondendum esset, stetisset; in hæc verba prorupit; redi. Interea Germanicus nocte ejus diei, qui pervigilium festi sanctissimi Christi Corporis anteit, tale vidit insomnium. Existimabat se esse Romæ in cubiculo beati Patris, quem ægrum in lectulo jacentem videret, audiretque dicentem; Adest tandem, Germanice, vitæ finis: illeque, Pater mi, responderet, haud erit ita; periculosius siquidem alias ægrotasti: & ille, Ultima jam mihi, adjiceret, instat hora: cura itaque pro me res sacræ ut fiant. Hoc dormienti, somnium; vigilanti, consilium fuit.

Nam experrectus tum ille, discessum accelerat: unius diei iter, longissimum ei pro beati Patris desiderio videbatur. Romam ut venit, Philippum, lectulo insidentem, incolumem sanumque offendit. Cui ille, Revertisti? inquit. Reverti, respondit ipse: quamquam parum abfuit, quin oppidanorum rogatu reditum alium in diem distulerim. Tum Philippus; Ut, quod advenisti præfinita die, recte plane fecisti; ita, si reditum remoratus esses, perperam egisses. Nec verba sine causa: postero enim die beatus vir, præter omnium opinionem, e terris in cælum evolavit. Sed veniamus modo ad aliud.

[178] [item alium per litteras:] Dederat Philippus in mandatis eidem Germanico Fideli, idque ineunte Aprili anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, ut ad Flaminium Riccium, Congregationis nostræ Sacerdotem, Neapoli commorantem, litteras suo nomine daret, in quibus scriptum esset; Romam rediret quamprimum, quem ante obitum videre cuperet; præviderat enim velocem fore depositionem tabernaculi sui. Sed Flaminio, per litteras se excusanti, & ad Septembrem usque mensem inducias petenti, non indulsit beatus senex: quin novis iterum litteris, in eamdem sententiam scriptis, suo nomine urgeatur jubet; ut illis lectis, Romam, nulla facta mora, revertatur. Sed cum is nihilominus, rogatu Annibalis de Capua Archiepiscopi, discessum remoraretur; recentibus adhuc ejusdem litteris, ut qui eum videre cuperet, Romam revocatur. Verum ille, ubi novis impedimentis recens exortis beati Patris imperio non paruit, paucis post elapsis diebus e vita Philipus decessit. Eodem etiam tempore Petro Consolino pridie sui obitus, apertissime, se brevi moriturum, significasse videtur. Nam cum familiariter cum eo colloquens rogasset, [ab alio sacrum funebre sanus perit,] Sacrumne pro se facere vellet; illeque id se libenter facturum respondisset; quamquam sciret haud opus esse, cum optime valeret, ut pro ejus corporis salute precibus insisteretur; Sacrum,

quod efflagito, adjecit Philippus, id est, quod a defunctis nomen habet. Quid porro his verbis significare voluerit, mors postridie secuta aperte indicavit. Alterum eodem mense admirabilius. Idibus Maiis (erat eo anno alter dies Pentecostes, sancti Spiritus in Apostolos immissione celebris) cum Joannem Baptistam Guerram (quem ego ipse in mei locum, [& diem mortis suæ designat:] dum rem divinam facerem, ad curam beati Patris substitueram) evocasset Philippus, & quotus esset dies mensis rogasset, illeque diem Iduum dixisset; Decimo post die, qui dies erit octavus Kal. Junias, subjecit beatus senex, ego moriar. Ceterum veram fuisse ipsius prædictionem docuit eventus; quandoquidem ea ipsa die, post sextam noctis horam, e vita migravit.

[179] [extremo vitæ die Sacrum facit,] Philippus interea, triduo ante obitum, divina luce ac dulcedine uberius forte quam unquam antea delibutus, ut qui sese ad nuptias Agni evocari sentiret, Sacrum incredibili animi lætitia ac voluptate faciebat quotidie. Octavo Kal. Junias, qui dies eo anno & sacratissimo Christi Corpori sacer, & ejus vitæ postremus fuit, rem sacram, quasi caneret, gaudio peregit. Initio Sacrificii oculos in villas ad S. Onuphrii Templum sitas conjecit, tamquam aliquid oculorum effugiens obtutum cerneret: porro quid ille tum viderit, eo, qui solus norat reticente, omnes latuit. Magnam ejus diei partem in Confessionibus audiendis consumpsit, multosque ex alumnis suis ipse manibus Eucharistia munivit. Hoc perpetuo triduo, ubi e lecto mane surgebat, in eo postea numquam, quod firma uteretur valetudine, [lecto præter morem incumbit,] nisi noctu stata hora cubare visus est. Eo vero die, qui vitæ supremus fuit, cum illum Angelus Victorius adiisset; Non viso te, inquit, Pater mi, ut medicus, sed ut amicus. Ex ejus cubiculo egressus; Philippus, mihi aliisque dixit, adeo recte valet, ut ne ab hinc decem annos ita viribus valentem, ut nunc, compererim. Eodem die Philippus, mortem etsi

imminentem sibi divinitus nosset, vultu tamen lætitiam præseferebat: adventantes amice complectebatur; [amicos hilaris excipit:] Sanctorum historias, quas Franciscus Zazzara legebat, audiebat attentissime: ejusmodi enim lectione magnopere delectabatur. Interea cum S. Bernardini Senensis Vita legeretur, venit ad eum Augustinus Cusanus Cardinalis, Hieronymo Pamphilio Rotæ Auditore comitatus: accessit iis paulo post Spinellus Bencius, integerrimæ vitæ vir, primus Politiani Episcopus. Hi, divino Officio cum Beato Philippo recitato, tamdiu ibi mansere, dum dies in vesperum inclinaret; nocte adventante domum quisque remigravit.

[180] Sub horam primam solita vir sanctus parsimonia cœnavit: [& nullo sub noctem apparente morbo,] a cœna ita bene valebat, ut antea: nullum signum in eo apparebat, quod faceret non mortis modo, sed ne levissimi quidem morbi levissimum indicium; adeo præterea lætus erat, ut omnia alia crederes, quam ipsum paucis post horis e vita migraturum. In lectulo cum esset, satis gnarus adesse sibi supremam horam, adstantibus primum dicere cœpit; En morimur omnes. Quota deinde hora sit, rogitat: cumque tertiam noctis horam esse didicisset, illico, quasi secum ipse loquerentur, dicebat: Tertia hora est, sed huic si addantur binæ, quinta hora erit; si ternæ, sexta. Tum ad nos conversus; Abite vos cubitum. Haec autem dum loqueretur ita se fortiter gerebat, ut satis ex dictis gestisque appareret magna eum exultare lætitia, ut qui cælestibus jam perfrueretur voluptatibus. Ergo nos qui aderamus, nihil admodum periculi suspicantes, cubitum distessimus. Sub horam sextam vix me somnus complexus erat, [designata a mea hora:] cum repente excitus, Philippum deambulare sentio. Timore perculsus e lectulo celerrime surgo, non minore celeritate seminudus propemodum, sola talari tunica ad subuculam coopertus accurro; lectuloque insidentem reperio; cui fauces sanguine vel pituita ita repletæ erant,

ut eorum impetus jure meritoque timeri posset. Id ego cum cernerem, quid sibi accidisset, rogo. Qui mox, Ultima mihi, ait, instat hora: emori jam incipio. Ceterum cum solus apud eum essem, nec solus opem indigenti ferre possem, [nuevo sanguinis sputo corripitur,] ad Alexandrum Alluminatum illico advolavi: is nulla interposita mora secutus est me. Interea dum medici expectabantur, quoniam vis morbi urgebat, cucurbitulas sine ferro ei admovimus, ad fricationes recurrimus, a brachiis cruribusque incepimus, a thorace abstinuimus; fascia demum; ad sanguinem supprimendum, coxas, branchia, & crura adstrinximus: medicamenta quamquam multa adhibebantur, nullum tamen erat quod ei prodesset. Remedium Philippus respuebat nullum: intra quadrantem horæ aut paulo plus eo, pituita, quę infauces descenderat, mansit: fluxio nulla erat, fauces liberæ, expedite & perfacile currens oratio; mortis periculum eum evasisse crederes.

[181] Sed hæc brevia fuere; quandoquidem ille ad nos conversus; Si alia, inquit, [ad extrema adductus,] vobis medicamenta non suppetunt, manete, quippe quia cum morte jam luctari incipio. Quibus dictis, ut sibi ipsi vacaret, conticuit. Verum quo plus supremis appropinquabat, hoc magis se mortem contemnere palam indicabat adstantibus. Super lectulum enim ubi jacebat, quasi eam ad pugnam provocaret, sedentis instar allevat sese. Duravit tamdiu in eo habitu corporis, in quem se tum composuerat, donec spiritum halavit. Aderat jam Philippo suprema hora, cum Patres omnes accurrunt; & quem paulo ante vivum atque incolumem reliquerant, [præsentibus ac lugentibus suis,] pene mortuum præter opinionem offendunt. Hinc lacrymæ illico cunctis cadere incipiunt præ dolore, quasi pueris. Tanti viri jacturam nullus erat qui non lugeret. Et quis morientem Philippum intuitus lacrymas tenere potuisset? qui sui ipsius oblitus nihil amavit magis quam aliis prodesse. Interea Patribus,

communem parentem insolabiliter plorantibus, ejus animam Cæsar Baronius, lacrymas precibus miscens, Deo Sanctisque de more commendat: quo peracto, admonitus a medico, Philippo mortem instare, ad illum mox conversus; Heus tu, Pater mi! clamare cœpit, quid causæ est, quod nullum nobis verbum dicis? Alloquatur, quæso, Pater filios, quos Christo tanto labore genuit: eripiat, rogo, filiis tantum dolorem aut minuat saltem: ubi benedictionem filiis tribuerit Pater, [placidissimme expirat.] tum eorum minuet dolorem. His Philippus auditis, oculos confestim in cælum tollens, aliquantulum oravit pro filiis. Supplicatione completa adstantes intuitus, quasi sua eos benedictione muniret, nullam passus vel minimam membrorum distorsionem, sine ullo molestiæ signo, ipsa jam morte (cujus ceteri vel nomen horrent) fortior, placidissime efflavit animam, octavo kalendas Junias. Erat eo anno dies, sacra Corporis Christi solennitate celebris, intra horam sextam, ut prædictioni responderet eventus, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto.

## CAPUT XVI.
## Gesta post obitum, & sepultura.

[182] Eo ipso momento, quo Philippus expiravit, multis ostendit sese. Virgini cuidam, quæ pietatem egregie sequitur, se simul ac e vita decessit per somnium obtulit: [Momento post obitum] sed feminæ, de nescio quibus scrupulis sermonem cum eo in longius protrahenti; Sine me, ait, in itinere enim sum; satis jam, & plusquam satis illi (alumnos suos significabat) me remorati sunt. Hæc effatus, sublimis abiit. Hora eadem, atque etiam puncto temporis eodem, virgo altera, [ostendit se Sanctus duabus piis virginibus,] Deo sacrata, vidit inquiete beatum Patrem, candida veste indutum, cælesti micantem luce, duos inter juvenes medium, qui sibi diceret; Ego, ut vides, ad meorum laborum præmia in

cælum evehor: tu ergo cura pro viribus, ut quam cœpisti vitæ rationem ad obitum usque teneas: id enim si feceris, ejusdem mecum felicitatis particeps eris: nec est quod metuas, ego pro te Dominum precabor assidue: & his dictis, ab oculis abiit. Tum virgo, somno excita, simul admirabunda, simul læta, ubi diutius quid id visum portendat frustra secum animo agitat; tum demum quod reliquum erat noctis, tota in ejus rei cogitatione defixa, traducit insomnis: sed albescente die, ut nuntius venit qui diceret, Philippum ea hora obiisse, qua virgini oblata fuerat visio; intellexit mox femina, quid nocturnum visum monstraret. Quamobrem hilarior facta, Philippum ex eo die, tamquam sanctissimum virum, Beatorum cœtui jam adscriptum, magis magisque suspexit. Vir quidam est pietate nobilis, cujus nomen, ne ejus modestiam offendam, [item nobili viro.] silentio prætereo, qui in una ex civitatibus Italiæ domicilium habet, quæ ab Urbe millia passuum circiter centum distat; hic eodem momento, quo Philippus cessit e vita, incertum initio vigilans an somnians, beatum Patrem dilucide perspicueque vidit, qui sibi diceret; Pax tibi, frater, augustiorem in locum mihi nunc iter est. Vix hæc effatus erat, cum is somno experrectus, haud jam dubitans quin non dormiret, eumdem sibi videre videbatur: qui læta fronte ac vultu illas frequenter iteraret voces; Augustiorem nunc peto locum; ad amœniorem locum nunc pergo: & his dictis, ex oculis elapsus est.

[183] Philippi interea corpus, de more lautum ac Sacerdotali vestitu rite indutum, [Ad corpus in ecclesiam delatum,] Patrum humeris ad ecclesiam, sub horam noctis septimam, defertur. Feretrum prosequebantur omnes e Congregatione; qui in eo gestando impediti non erant, corpus ardentibus cereis cingebant: per viam Psalmi per vices canebantur: id erat spectaculum, ut lacrymas cunctis eliceret. Vulgata Philippi morte, maximus confestim omnium ordinum, ad ejus corpus visendum,

concursus fieri cœptus est: qui veniebant, jucundissimo beati viri aspectu neque animos neque oculos satiare poterant. [ingens fit concursus.] Venerabantur sancti Patris corpus in feretro jacens Amplissimi S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi, Episcopi, omnisque generis Præsules, Religiosi, Principes viri, feminæque primariæ quam plurimæ. Nemo accedere visus est, qui sacrum beati senis corpus non veneraretur: feretro circumfusi qui aderant, jucundissima Philippi specie memoriaque semetipsos mirifice pascebant: nec defuere qui assiduis lacrymis crebrisque singultibus tanti viri obitum, tanti parentis jacturam misere lamentarentur: neque tam duro quisquam animo fuit, quin venerabundus maximo pietatis affectu ejus manus exoscularetur, sacrasque reliquias rosariis, manu, osculoque contingeret. Videre erat sanctum corpus, totum rosis floribusque constratum: qui mox a confluente multitudine ablati, domum pietatis ergo exportabantur; nec tot Patribus rosæ erant ad illud exornandum, quot erant qui eas sibi ad morborum remedium auferebant. Mirum erat præterea quantum omnes certatim paululum saltem vestis habere contenderent, ut reliquiarum hominis Dei aliquid apud se retinerent; nec tantam Patres adhibere diligentiam quivere, in eo custodiendo ne quid surriperetur, quanta satis fuisset, ut postea cognitum est.

[184] Interea nocte adventante, clausis sub tertiam horam ecclesiæ valvis, [Idem ad sectionem nudatum,] defuncti corpus tum inspiciendi tum exenterandi causa dissectum est. Sectioni interfuere vocati a Patribus Angelus Victorius, Josephus Zerla medici, Marcus Antonius Bellus, Alexander Alluminatus horum administri: interfuerunt e nostris Germanicus Fidelis, Julius Savera, Joannes Baptista Guerra: ex externis Franciscus Zazzara, Spinellus Bencius, aliique. Sectioni ego non adfui, [mota manu obtegit verenda,] non modo quod id spectaculum sustinere haud potuissem, sed etiam quod repentino

morbo initio sectionis opprimi me sensi. Illud inter sectionem mirabile accidit, in quo maxime Deus illius confirmasse virginitatem mihi videtur. Convenerant jam ejus corporis exenterandi gratia sectores: aderant multi ex Patribus. Cumque defuncti corpus, quo dissecari facilius posset, denudassent; exanguis illius corporis & spiritu destituti manus (mirum dictu) supra naturæ vires moveri, easque corporis partes, quas indecorum ostendi vivo fuisset, occultare cæperunt. Id cum semel iterumque fecisset (quo præsertim tempore corpus movere opus erat) exclamavit Angelus Victorius, qui id adverterat, clarissima voce, ut omnes qui aderant audire possent; O egregiam hominis puritatem! O castitatem eximiam! Videte quæso virum, quem anima defecit, sua sibi tegentem verenda. Idem quoque accidisse prorsus dum ejus lavaretur corpus, a Patribus qui interfuere observatum est.

[185] Aperta anteriore parte thoracis, inventæ fuere, mirantibus qui aderant, [costæ duæ divinitus fractæ inveniuntur,] sinistri lateris costæ duæ mendosæ, ut vocant, fractæ: erant hæ quarta & quinta. Fractura in anteriore parte pectoris apparebat, ubi costæ in cartilaginem desinunt: costæ adeo elevatæ erant, ut eas pugni magnitudinem non æquare modo, verum superare etiam profiterentur omnes. Remedium profecto id fuisse divinum quis neget, quo palpitans cor non læderetur? nam neque lapsus, neque percussio, neque vis ulla præcessit unquam, qua id effici potuisset; neque dolor quantulumcumque minimus fuit, neque inflammatio exorta. Hanc ipsam porro costarum fracturam, contra omnem medicinæ rationem, totos quinquaginta plus annos absque ullo sensu doloris sustinuit. Habuit ea initium a nimia divini amoris vi, summoque cordis ejus ardore, quo inter contemplandum vel maxime afficiebatur. Hæc medici diu multumque animo agitantes, in eam tadem unanimes venere sententiam, ut jurati

verbo scriptisque affirmarint, eam costarum fracturam beato Patri divinitus contigisse, idque multis de causis; primum ne contemplationi vacans, ex divini caloris vi abundantiaque, repentina morte extingueretur; deinde ut cor, ardentissimos amoris æstus sustinens, augustiorem sibi locum acquireret; tum ut pulmones facilius ac præter consuetudinem dilatarent sese: postremo ut, beneficio loci augustioris, tantum novi aëris pulmones ad cor deferrent, quantum ad illud refrigerandum satis esset.

[186] Aperto thorace nullum in præcordiis vitium apparuit. Cor cum inspiceretur, magnum apparuit & musculosius, [cor integrum & solito majus;] ultra quam esse soleat: a calore enim, ob ferventium spirituum vim superfluente, ita effectum esse, Andreas Cesalpinus atque Antonius Portus jurati publico testimonio confirmarunt. Vena deinde arteriosa (ut a medicis aliisque ex adstantibus accepi) cujus actio est sanguinem ad pulmones ferre, quo ibi attenuatus cum aëre ad sinistrum cordis ventriculum, ejus nutriendi refrigerandique causa, transferri possit, duplo major reperta est, quam natura soleat: [intestina eximuntur.] ea quandoquidem Philippus frequentius uti opus habebat, ad novum aërem novosque spiritus ad cor deferendum, quo cælestis ignis summos illos ardores, quibus assidue abundabat, sine valetudinis detrimento, ne dicam mortis periculo, sustinere potuisset. Corde dein, cujus incisa cutis fuit, inspecto, in pericardio, quod veluti capsula illud involvit, Angelo Victorio & Josepho Zerla testibus, aquæ nihil repertum fuit: quam ardore contemplationis consumptam fuisse, nobilissimi medici jurejurando firmarunt. In ventriculis autem, quorum partes duæ sunt in utramque partem sitæ, quasi aures duæ, nihil sanguinis, eodem Zerla auctore, apparuit. Absoluta demum pectoris inspectione, sine gravi odore, sanctum relinquitur corpus intestinis vacuum. Hæc (nempe cor, pulmo, jecur, lien, & exta) catino terreo inclusa, in sepulchro, sepeliendis

Patribus constructo, condita sunt, terraque obruta: illud vero ad sequentem diem, quo populo satisfieret, in ecclesia omnium oculis expositum relinqui oportuit. Concursus postero die facti, prioris diei concursum longe multumque superarunt: quo enim magis beati Patris obitus divulgabatur, eo frequentior ad eum visendum omnium ordinum multitudo confluebat.

[187] [Postera die ad corpus sanantur,] Dum beati Patris corpus jaceret in feretro, egregia ejus facinora, prædictiones, ac miracula ab iis, qui aut ipsi oculis perspexerant expertique erant, aut fidelissimis didicerant testibus, passim narrabantur: id cum fieret, veteribus mox miraculis nova miracula adduntur. Laborabat Augustinus Magistrius Romanus, ad septem circiter annos, strumis in cervice natis, quem arte nulla medici sanare potuerant. In cervice bina erant ulcera, quorum quod sinistro hærebat lateri, [incurabiles strumæ,] altius descendebat, ad os usque penetrans; atque ex eo multus humor assidue exibat, qui esse inter saniem & pus videbatur, qui humor ita fluens intuentes ad nauseam concitabat. Hic, ubi sanctum virum miraculis coruscantem apud nostros obiisse audit, ad nostram mox ecclesiam advolat; feretro propius accedens, humi genua prosternit; sacrum corpus veneratur: tum ex oratione surgens, defuncti manus osculatur, certam ex eo attactu valetudinem sibi pollicitus. Nec sua illum pietas frustrata est: namque ut Beati manus collo, ubi insidebat morbus, admovet, extemplo sanatur. Hujus soror Margarita natu minor, totos sex annos eodem morbo oppressa, ad ecclesiam a matre adducitur: sed cum præ turba, impetu sæpe capto, vix sibi spatium ad sacrum corpus accedendi daretur; [oculi infirmi,] importunitate tandem matris, ipsam in manibus gestantis, ad feretrum devehitur. Ibi ad alteram ex vitiosis partibus defuncti manum sibi apponens (ad utramque enim beati viri, calice & multitudine impediente, Principeque femina adventante, non potuit) totum ab ea

morbum confestim abiisse (altera, cui Philippi manus haud admota fuerat, non sanata) persensit. Horum parens, nomine Alexander, plus sexaginta annos natus, e capite fluxionem in oculos delabentem duos jam menses patiebatur: vesperi ne accensas quidem faces ferre poterat. Is itaque, veritus ne propter humorem assidue fluentem oculorum aciem amitteret, ad Philippi corpus visendum accurrit, ejusque manus oculis admovet fuit: quod dum faceret, melius derepente habere cœpit; brevique, nullo prorsus adhibito medicamento; e morbo plane convaluit.

[188] Epiphania Colichia Recinetensis, quinto & quinquagesimo ætatis anno, [difficile asthma,] difficultate respirandi adeo molesta per septem circiter menses laboraverat, ut maximis pressa angustiis, non modo anhelitum trahere non posset, aut vix verbum formare, sed ne spirare quidem sine sono & anhelatione, neque noctu conquiescere, neque in lecto decumbere. Accedebat id quoque, ut caput in lecto sublime habere cogeretur, quippe non nisi recta cervice spiritum traheret: ambulatio præterea, æque ut ascensus, feminæ molestiam exhibebat quam maximam. Ergo hæc, Philippi sanctimoniæ miraculorumque fama excita, ad nostram mox ecclesiam, ut ægre potuit, venit: ante feretrum genibus nixa beatum Patrem, quo poterat animi ardore, obortis lacrymis enixe orat, ut se pristinæ restituat incolumitati: tum, ubi paulum precata esset, sumptis rosis quæ circum sanctum corpus erant, eisque super stomachum fiducia plena impositis, salutem illico sibi redditam esse advertit. Artemisiæ Cheliæ durum ac renitens tuberculum in sinistræ manus articulo ortum erat: [deforme tuber,] id morbi genus ganglion medici seu nodum vocant. Tuberculum ex parvulo incepit, & diu paulatimque adeo increvit, ut nucis magnitudinem nedum expleret sed excederet, ovique ferme æquaret. Hæc itaque, Philippi morte vulgata, ad ejus venerandum

corpus festina perrexit: affectam confestim manum, qua parte morbo libera erat (quod hominum, qui adstabant, puderet) sacris admovit reliquiis: tum rosas e feretro excipiens, morbum fricatione expellere nititur. Id pura fide cum effecisset, eaque mente ut sibi sanitatem corporis beatus Philippus impetraret, ejus obsecrationibus Dei aures patuerunt: morbus enim brevi, nullo adjutus medicamento, evanuit. Caput puellæ, nobili loco natæ, Mariæ Justinianæ nomine, scabies seu papulæ occupaverant. Processerat morbus in orbem; [scabies capitis,] medicamentis adjuvari non poterat. Ejus mater, beati Patris nostri morte cognita, mox filiam ad ejus corpus adducit; id a Deo, precata, ut ob ejus merita illam ad pristinam valetudinem revocet: tum capillis ex ejus capite latenter furtimque abscissis, eos, magni thesauri instar, quasi de corporali filiæ salute jam secura, læta domum tulit. Eo ubi venit, puellæ mox caput Philippi capillis leniter perfricat; quod dum faceret, Rogo te, dicebat, sancte Philippe, ut ob eas cogitationes, in quibus assidue versabaris, quo Christi fidelibus prodesses, filiæ meæ quam expecto salutem conferas. Nec sua eam frustrata pietas: ex eo enim tempore adeo puellæ melius fuit, ut tridui spatio caput ea contagione liberum sibi senserit, media ejus in parte unico tantum ulcere, ærei nummi instar, quadrantem vulgo dicimus, relicto, ex quo pus seu sanies exibat assidue. Sed ad id cum eodem prorsus medicamento pia mater, humanis remediis spretis, uteretur, brevi id quodque ulcus evanuit.

[189] [Corpore post triduum sepulto,] Exacto triduo, visum est Patribus defuncti corpus, arca lignea inclusum, prope aram maximam in sepulchro communi condere. Id ubi rescivit Federicus Cardinalis Borromæus, beati Philippi studiosissimus, ægre admodum tulit; indignum ratus talem tantumque virum, quem Deus & miraculis & virtutibus illustraverat, cujus egregiam vitæ ac mortis sanctitatem posteritas omnis intuebitur, eo loco sepeliri.

Ergo cum Patribus mox agere cœpit, ut honoficentius pro dignitate tanti viri alibi condi curarent. Re cum Alexandro Medice Cardinali communicata, in editiorem locum ad tempus transfertur: quod quidem divino potius, quam humano consilio factum, edocuit eventus; ut eo scilicet loco sepulturæ traderetur, quem ipse sibi paucis ante obitum diebus prædixisse, obscuris licet verbis, visus est. Verum quo Philippi corpus decentius reconderetur, constructus fuit, jussu ejusdem Alexandri Cardinalis, novus loculus ligneus: in quem Sacerdotali vestitu indutus, collacrymantibus filiis, injectus est. [nihil mutata viventis specie,] Mirabile visum est multis, quod corpus, quamquam abhinc tres dies vacaret animo, tamen eam ipsam quam antea speciem retineret: modo mortuum, vel potius adhuc spirantem putares. Non riguerant mortuo frigida membra, ut corporibus sensu vitaque carentibus contingere videmus; sed viventium instar in omnem pene motum flectebantur: caro mollis tactu sentiebatur quasi pueri: postremo super arcam, ubi corpus quiescit, fornicatus paries a fabris extructus est. Locus sepulturæ, ex quo ibi primum Philippus humatus fuit, in magna apud omnes veneratione haberi cœptus est, habeturque in præsens. Affixa cernuntur ejus sepulchro aurea, argentea, cereaque simulacra; votivæ quoque tabellæ, miraculorum ibi editorum certissima argumenta.

[190] Mulier quædam erat clarissimis natalibus, abundans pietate magis quam divitiis, una ex his quæ templum nostrum frequentant: hæc ubi inter initia obitus Philippi propter ejus sepulchrum oraret, odorem inde confestim suaviter jucundeque spirantem sensit: [odor cælestis diffunditur.] quo mirifice recreata, cum secum ipsa cogitaret, unde is manare posset; comperit tandem stupore attonita (quod nullus ibi flos erat, nullaque res quæ tanto halaret odore) e Philippi corpore, nullis unguentis delibuto aut balsamo condito, effluere. Erat suavitas odorum, qui afflantur e floribus, rosis, violis, & id

genus aliis. Verum, quæ hanc rem jurata narravit (Julia Ursina fuit, femina sublimium appetens) nova Paula videbatur, tanta flagrans caritate in pauperes, ut eos sibi tuendos susceperit vel cum periculo valetudinis. Eos illa progressus in spiritu fecerat, ut mirabilis omnibus appareret. Hæc tandem vocata a Sponso, supremum diem explevit mense Septembri, anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo. Sed hæc summatim raptimque de tanta femina enarrasse, etsi historiæ satis est, animo non est satis. Quid aliud? quid quæso effusi odoris suavitas indicavit, nisi illud corpus ab omni turpitudine & corruptela, dum viveret, abhorruisse?

## CAPUT XVII.
## Variæ gratiæ miraculosæ, post Sancti sepulturam ei devotis factæ.

[191] Hoc vero non silendum, Philippi obitum, qui tribus ante contigerat diebus, cum vir quidam præstanti nobilitate in ipso beati viri cubiculo insolabiliter lamentaretur; [Invocatus Sanctus mœstitiam pellit,] jam nondum quadrans horæ abierat, cum ingenti se lætitia perfundi sensit: quamobrem ex magno luctu in magnum gaudium versus, alacer inde lætusque discessit. Idem vir, cum magnis premeretur curis, quod rem nescio quam, permagnam ac maximi consilii quam agebat, conficere non poterat, Philippi sepulchrum adiit, pectus monumento admovit. Nec frustra: eam enim intus vim caloris eosque affectus sentire cœpit, quos ex amplexibus beati Patris, cum ille viveret, percipiebat, e membris omnibus sudoris copia manante. Neque hic stetit res: omni illa formidine spe citius liberatur, reique exitus qui optabatur contigit. Nec desunt ex externis, qui ex eo solum quod ejus sepulchrum invisunt, insolita quadam lætitia ac voluptate afficiantur, fluentibus lacrymis, non tristitiæ indicibus, sed pietatis.

[192] Claudius Nerius, aliquo post beati viri obitum spatio temporis, ex renibus seu ex lateribus, [curantur dolores nephritici,] ad dextrum latus gravissime duos jam menses laboraverat. Is erat dolor, qui intenderetur quotidie; eoque aeger adeo misere conficiebatur, ut si contigisset eum necessitate aliqua moveri, doloris magnitudine victus vociferari, ad dolorem utcumque leniendum, cogeretur. Accessit interim morbo novus dolor, veteri manente. Nerius enim sinistro genu laborare acriter cœpit. Recens ortum dolorem cum ad tres quatuorve horas sustinuisset, veritus ne si ita incresceret eum somno privaret, ut antiquior dolor, ex quo paucis anteactis diebus in articulis sinistræ manus laboraverat; humana ope desperata, [& gonagra,] vertit se ad divinam; uterque enim dolor vehemens urgebat. Ergo ut velum capitis lineum beati Patris, & thecam in quam nonnihil ex ejus capillis inclusum erat, affectis admovit partibus, extemplo toto discusso dolore sanatur. Interea Nerius, accepti beneficii memor, miraculum postero die omnibus ad eum confluentibus amicis narrat: sed cum non deessent qui dicerent, id naturæ viribus contingere potuisse, vel forte etiam contigisse; Dei permissu factum est, ut postero die novo dolore opprimeretur (insidebat is in dextero genu) prioribus æque vehemens. Tum Nerius, quo facilius agnosceret divina vi antiquiores abiisse, non ope humana, recenti fortiter resistere cogitat: eumque ad vesperum sustinere constituit: affectæ parti B. Philippi reliquias imponere plane recusat: experientia enim didicerat, ejusmodi dolores, quo magis dies in vesperum inclinat, hoc vehementiores fieri atque acutiores. [admotis reliquiis:] Sed cum nocte adventante is dolor, cui tumor accesserat, augeretur mirifice; tantusque jam esset, quantum sustinere vix posset; suspicatus ne nova iterum premeretur vigilia, eodem remedio ad morbum depellendum uti statuit: quod dum faceret, extemplo totus is dolor totusque tumor evanuit. Ita gemino miraculo

Nerii ejusque domesticorum duplicata lætitia, & Philippi sanctimonia dilucidius est comprobata.

[193] Fr. Simon Cappucinus ex brachiis ad decem menses laborabat, cujus morbi origo ex frigore erat; mali autem adeo misera conditio, [brachiorum cruciatus & impotentia,] ut æger non modo manus post tergum flectere, sed ne vix quidem sublime attollere posset. Salutarem Hostiam, rem divinam cum faceret, non nisi magno labore attollebat: Sacerdotalibus indumentis ad Missæ sacrificium, nisi aliena ope adjutus, se induere haud poterat. Hæc dolor & is quidem gravissimus sequebatur, qui urgebat assidue; sed in sinistro brachio, quod magis affectum erat, vehementior sentiebatur: hæc enim pars adeo vitiosa erat, ut capiti vel ejus perfricandi studio admovere non posset. Ventum erat ad medicamenta, sed morbo nullum ex multis unquam profuit. Cumque res in deterius procederet, venit æger Superiorum jussu Romam, Junio mense, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto. Ibi, Philippi morte, quæ modo secuta fuerat, ejusque miraculis cognitis; plurimum in beati viri benignitate spei reponens, Montem Zazzaram germanum suum, qui ex Philippi alumnis erat, rogat, ut si quid ex beati viri vestibus superesset, quod vitiosis membris imponeret, commodare non gravaretur. His ille commotus aliquot e Philippi capillis, atque frustum telæ ejusdem cruore delibutum præbet; ipse venerabundus accipit: tum Roma, nullo ad morbum adhibito medicamento, egressus, ad Oppidum Campanianum venit; ubi quodam die humanis remediis jam missis, quod morbo nihil proficerent, ad Beati opem confugere statuit. [hausta abductione capillorum Sancti.] Verum, quo facilius voti compos efficeretur, decrevit postero die, peccatis primum Confessione patefactis, tum Sacro peracto, Deum id unum enixe rogare, Philippi servi sui meritis sanitatem restitueret. Insequenti die reversus absoluto Sacrificio in cubiculum, sumptis mox aliquot e

Philippi capillis, eisque minutatim conscissis & aquæ mixtis, humi prosternit sese. Ubi recitans primum ad Christi imaginem orationem Dominicam Angelicamque salutationem, deinde signo Crucis poculum signans, ad extremum hoc beatum Patrem intime atque ex animo precatur, eum a se dolorem expellat: precibus adjicit votum, si impetret sibi corporis sanitatem, se perpetuo ejus pervigilio jejunium servaturum. Supplicatione completa, poculum fiduciae plenus in manus sumit, ori admovet, ebibit, sanatur; utrumque brachium facili negotio movet, ad tergum flectit, plicat, extendit; dexterum plane persanatum sentit, sinistrum quoque impense jam læsum ad usus promovet suos; quo vult, flectit; quocumque vertit, sequitur; sed ita, ut levi quodam eoque perbrevi dolore premeretur; quem demum ille, eodem remedio usus, haud multo post ab eo plane expulit. Simon igitur tanto beneficio lætus, gratiis primum Deo beatoque Philippo impense actis, rem omnem amicis enarrat, semel atque iterum expertam beati viri opem laudibus extollit; vulgatum inde miraculum, multorumque sermonibus celebratum. Per eam occasionem Philippi religio augeri cœpta est, indiesque recentium miraculorum occasione augetur, perpetuoque augebitur: sic enim honorabitur quemcumque Rex voluerit honorare.

[194] Marcus Antonius Maffa, vir dum viveret ob vitæ integritatem rerumque peritiam omnibus notus carusque, tertio Nonas Augusti, [Colica gravellosa,] eodem anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, ilium doloribus corripitur, quorum initium ex calculis erat. Nocte quadam doloribus increscentibus, in eum locum deductus est, ut ne quidquam non modo tantum, sed ne tantulum quidem quietis capere posset. Remedium nullum morbo proficiebat: vomitus & calor, qui eidem hoc morbi genere affecto pars sanitatis esse consueverant, nihil proderant nihilque adjuvabant. Interea doloris vehementia defatigatus, infirmis viribus, medicorum

remediis frustra tentatis, in lecto post sextam horam collocat sese: beati Philippi, in quo uno omnem suæ curationis spem reposuerat, implorat opem: Nec mora: precibus ubi insistit, mox levi quodam ac dulci somno corripitur: dormiit ad horam; excito calculus, qui psaseli magnitudinem expleret, exiit: erat is paulo major quam quivis alius, qui ante id tempus exciderat. Rei exitum tam celerem miratur Maffa: & hoc major eum cœpit admiratio, quod dum ei contingebat ex calculo laborare; calculus, quamquam hoc ipso minor, tamen cum a renibus divellebatur, hominem plus duobus diebus excrucians, ad vesicam tandem descendebat; ex quo & calida atque acris urina, & vesicæ inflammatio fiebat; tum demum, duobus vel tribus elapsis diebus, is calculus exibat.

[195] [& lethargus sanantur,] Idem cum pridie Non. Augusti, ejusdem hebdomadæ, absoluto Sacrificio poculum aquæ frigidæ jejunus exhausisset; eo poto, horrore primum, deinde pestilenti febre, cui continens somnus accesserat, premi cœpit: fuit morbi initium luna crescente. Illud præterea ægrum a periculo non abesse indicabat, quod neque vomitu, neque alvi ductione, neque alio modo, vi somni qua opprimebatur, capitisque dolore quo afflictabatur, se vel minimum levari sentiebat. Interea, cum de medicorum consilio sanguinem sibi incisa vena detrahi pateretur, nec ea missio sanguinis quidquam prodesset, de ejus vita ab ipsis medicis dubitari cœptum est; quandoquidem æger, natura non siccus, sed succi plenus erat. Nocte adventante confugiens Maffa ad Philippi opem, tale mox vidit insomnium. In quadam sibi domo esse videbatur, quæ incendio absumeretur; & in ea homines cernere, qui ad ipsam evertendam disturbandamque omni conatu incumberent: dumque ea demolitio fieret, duo secum esse, qui cum fuga (quod fortes viribus essent) sese præsenti periculo eximere studerent, derepente e parte ruentis muri opprimebantur: tum his ille perterritus,

moriendum sibi esse firmiter credere; animoque præ ægritudine anxius, quid hac de re consilii caperet, nescire. Ergo dolore mœstitiaque oppresso adest Philippus, qui, [post jucundam visionem,] quasi juvenes qui domum demoliebantur increparet, clamare cœpit: Salvate Maffam, Salvate Maffam, bis eadem iterans verba. Nec frustra; is enim illico ab eo periculo sanum incolumemque se extrahi vidit, atque verum fuisse visum eventus edocuit. Postero enim die, febri morbique reliquiis, quæ vel excussa febri manere solent ad aliquot dies, liberatus omnino, pristinas vires sibi redditas sentit: mox sanus ac vegetus exilit e lecto. Medici vero, haud ignari quam periculose Maffa ægrotasset, eum mirabiliter convaluisse confirmarunt.

[196] Maffa interim, beneficii haud immemor, ad sepulchrum beati Patris ad vota reddenda venit; [teste votiva tabella ad sepulcrum.] gratiisque Deo Beatoque Philippo impense actis, sepulchro primus pictam tabellam, hac inscriptione notatam, affixit.

I. C. R.
B. Philippo Liberatori suo
M. Ant. Maffa Presbyter Salernitanus,
Nonis Augusti MDXCV.

Cum me febris vehementissima invasisset, videbat noctu in domo ruina & incendio conclusus, nullum habens evadendi diffugium: duo, qui videbantur mecum esse, fuga sibi consulentes, a pariete oppressi mortui sunt. Dum sic metu perterritus mortem expectarem, vidi & audivi B. Philippum, iterato præcipientem iis qui domum disjiciebant, his verbis: Salvate Abbatem. Postridie reliquit me febris, quod illius meritis & precibus acceptum ferens, testatum esse volui hac tabella, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & ad honorem ejusdem B. Philippi. Amen.

[197] [curantur dolores graves,] Rodulphus Silvestrius, medicinæ scientia florens, gravissimis improviso, III Idus Augusti, stomachi doloribus aliisque sævis symptomatibus oppressus, cum a medicamentis præsidium nullum haberet, ab aliis rebus id petendum esse censet. Itaque memor in ipso periculo beati Patris (salus enim in angusto jam erat) ejus opem fidenter implorat. Quo peracto, melius confestim habuit; dulcique mox somno correptus, ad unam & dimidiatam horam dormiit: experrectus, omni eo morbo liberum se sensit. Tum beati Patris sepulcrum venerabundus invisens, votivam tabellam hac inscriptione notatam inibi appendit, miraculi ad posteros certissimum indicium. Dum variis sævisque symptomatibus mori me sentio, implorato B. Philippi auxilio placibus somnus me arripuit, & statim convalui. Eo ipso anno Hieronymus Pamphilius, Rotæ Auditor, in morbum delabitur: morbum dolor capitis adeo vehemens secutus est, ut æger vix mentis suæ esset: sed cum is velum capitis B. Philippi capiti suo imponeret, divinitus factum est, ut omnem morbum a se continuo abegerit.

[198] [evaditur peccandi periculum,] Illud quoque pro non levi miraculo habitum. Quidam adolescens Stephanus, hoc ipso anno, Augusto itidem mense, cum impudicæ feminæ domum præteriens ad eam vocatus accessisset, ab illaque ad flagitium impelleretur; ipseque ancipiti cura distractus, quo se verteret, nesciret; assentiri turpe ducens, dissentiri periculosum; prope jam erat ut laberetur, ni B. Philippus succurrisset: cujus cum capillos linteique frustulum in thecam inclusum haberet ad collum, statim pectus percuti sentit, cor comprimi, simulque audit Philippi vocem; Vide quid agas: abi hinc, ne te perdas. Quibus ille non dubiis opitulantis sibi Patris permotus indiciis, impetu facto e feminæ manibus elabitur: quod omne adolescens, Philippi (ut par erat) acceptum referens caritati, votivam tabellam sepulchro, quæ illic

inspicitur, & evitati periculi memoriam, & insigne tanti miraculi monumentum dedicavit.

[199] [pelluntur febres.] Eodem anno, Septembri ineunte, femina Primaria Isabella Priorata, noctu lenta febri corripitur: febris ejusmodi erat, ut intenderetur assidue: ad febrim gravissimus capitis dolor accessit, qualem numquam antea sustinuerat; increvitque usque eo, ut parum abfuerit, quin delirium moverit. Ergo ubi ejus domestici ægram deterius habentem advertunt, alia experiri remedia statuunt. Itaque hora tertia noctis reliquiariam thecam, in quam frustum telæ beati Patris sanguine imbutum inclusum erat, clam subjiciunt capiti, bono dolo; id siquidem præsentissimum auxilium ægre̜ mulieri fit. Placido namque illa mox somno corripitur, exudat, maneque excitata omnem morbum a se penitus discessisse comperit; Deo ipsique B. Philippo propter Deum gratias agit, a quo se beneficium accepisse lætabatur. Eodem anno ac mense, Eugeniam Mansuetam febris lecto affixerat. Dum æstu torreretur vehementi, jubet sibi afferri aquam: allatam, telæ beati viri frusto in eam injecto, ubi exhausit, febris extincta est.

[200] [Ex alto delapsa & toto confracta corpore,] Hoc etiam anno Septembri vertente, Drusilla Pocaria, cum linteas vestes, quas aqua mundaverat, radiis solis exiccandas objiceret; casu factum est, ut ex altissimo loco præceps ruens, quam gravissime corpus offenderit. Erat altitudo loci, unde exciderat, passuum circiter sex & viginti: pavimentum, in quod descenderat, lateribus in longitudinem stratum, vetustate jam temporis magna ex parte exesum atque consumptum. Ad ultima jam ventum esse testabantur collisum fractumque caput; dexter oculus ita affectus, ut opinarentur omnes, si ex morbo femina evasisset, quod credebatur a nemine, ab eo prorsus destituendam fore; isque oculus loco suo non erat. Idem præterea indicabant nares fractæ collisæque;

sanguis multus, qui assidue ex ore ferebatur, quique cohiberi non poterat; maxillæ nimis intumefactæ, labrum inferius scissum (Inter cadendum enim duo acceperat vulnera, unum in labro, de quo dicimus, ad mentum dentesque procedens; alterum in sinistræ manus interiore parte, volam dicimus) dentes demum, quod nec omittendum videtur, propter ictum movebantur omnes, periculum erat ne exciderent. Et is erat miseræ mulieris miserrimus status: quæ ubi vestigio fallente præceps ruit, pro mortua notorum propinquorumque manibus confestim sublata, in suum cubiculum propere delata est, lectuloque confracto corpore collocata: ubi vix semivivens propter morbi vim non audiebat, non videbat, non loquebatur: jamque fama de ejus morte per viciniam ferebatur, quasi praecipitio extincta foret.

[201] [post votum mariti,] Verum quo tempore id contigit, Antonius Fantinus Faventinus ejusdem maritus domo aberat. Hujus itaque rei trepido nuntio excitus, ad sepulchrum Beati Philippi advolat; ibi positis genibus oculos manusque tollit in cælum, lacrymarum plenus enixe beatum Patrem invocat; votum precibus miscet, se pictam tabellam ad ejus sepulchrum allaturum, miraculi ad posteros monumentum, si servet eam, quam nulla ars humana servare possit. Supplicatione deinde completa domum venit, carissimam conjugem morti proximam reperit. Interim advocatur medicus, cui Antonio Franco nomen erat. Is feminæ statum contemplatus, actum mox de illa esse proclamat: desperata ejus salute, vulnera, ne novo dolore feminam fatigaret (quod utique opus fuisset) nequaquam fuit ausus repurgare; ad fissum labrum, solo ovi albo; ad manum vero, nullo prorsus medicamento; ad oculum emplastro, quod album lene medici vocant, usus est; atque his medicamentis feminæ succurrit, quod mortuam eam crederet; sic Domino, opinor, permittente, ut servi sui Philippi gloriam palam faceret. Consueverat vir ejus beati viri sepulchrum, uxoris vicem solicitus,

quotidie frequentare; ibi illius auxilium implorare, lacrymas ubertim flere. Nec sua illum frustrata fides: quodam enim die, eo orante, Philippus moribundæ conjugi derepente occurrit. Cujus illa adventu ingenti confestim lætitia perfusa, ejus opem venerabunda implorat. [apparente Sancto,] Tum ille mundum sudariolum, quod ei usui erat, in manus sumit; ori admovet, sensim faucibus immittit, indeque paulo post sanguine sanieque aspersum extrahit; & hæc dum faceret; Mitte, dicebat, timorem; non enim hic morbus vitam tibi hauriet. [ex integro sanatur:] Nec mora: ab ejus mox capite facieque omne vitium omnisque ægrotatio abiit. Ceterum viro ejus adventante, ut conjugem inviseret, beatus Pater repente ex oculis abiit. Qua ex re tristis effecta mulier, quod sperabat omnem morbum, si ille non abiisset, depulsum iri, lacrymis se dedit. Lacrymantem rogat Antonius, quid sit quod ploret. Cui illa, Ignoscat tibi Deus: ni venisses, omnem a me morbum depulisset beatus Philippus: ex quo enim in cubiculum ad me ingredi tentasti, ipse continuo sublimis abiit. Visum enarrat, miraculum exponit: venit interim medicus, qui scissum labrum ut nullo medicamento consolidatum videt, inter miracula id referendum profitetur.

[202] Feminæ deinde sinistrum genu, quo esset illustrius miraculum, [ejusdem tumefactum genu] usque eo intumuit, ut panis pergrandis magnitudinem expleret. Id chirurgus ferramento cum aperire decerneret; perterrefacta mulier, eam incisuram in posterum diem differri impetrat. Itaque insequenti nocte B. Philippum quam suppliciter potest invocat imploratque, ut sibi opem ferat. Oranti vigilantique se iterum offert cælesti emicans luce: emplastrum affectæ parti impositum aufert, timorem abigit, genu ad pristinum statum reducit. Drusilla, ubi eam partem persanatam videt, [a rursus apparente curatur;] virum suum inclamat; illuc ut properet, eximium illustreque miraculum visurum, rogat: Deo Beatoque

Philippo gratias quas potest maximas refert: medico qui illucescente die ea mente accesserat, ut tumenti parti foramen faceret, ex quo sanies exiret; Incide, inquit, perfora, scinde, fac quod vis, nullum mihi vitium in genu est. His ille auditis, vitiosam modo partem perlustrat oculis, explorat manu; tactu oculisque persanatam comperiens, veteri miraculo novum miraculum adjectum esse, admirabundus proclamat. Tum cupida mulier exiliendi e lectulo, rogat iterum B. Philippum, [qui tertio visus surgere eam facit.] ut sibi subventum esse velit. Nec de spe decidit: vigilanti namque iterum sese obtulit videndum (tanta autem affirmabat mulier pulchritudine esse, ut nulla species ne excogitari quidem posset ornatior) ejusque membra manu prehensa extendit, a capite scapulisque initium facit: quo peracto ex oculis elabitur. Tum Drusilla, die jam illucescente, gratulabunda surgit e lecto: obortis præ gaudio lacrymis nullum beato Patri gratias agendi modum facit. Continuavit is morbus minus quam decem dies.

[203] Flammetta Nannonia (id feminæ cognomen) quintum & quinquagesimum annum agens, in itinere cum esset, [Sanatur pes rota obtritus,] vehiculi cujusdam impetu ad terram impellitur: cumque inde surgere non posset, ex pedibus alter a vehiculi rotis comprimitur: qui primum intumuit: tumori deinde ingens protinus dolor accessit. Pedibus consistere cum non posset, in lectulo collocatur; adhibentur medici, variis medicamentorum generibus pars dolens fovetur. Sed frustra omnia: is enim locus, non dolores modo habebat punctionesque continuas, sed confractionem etiam nervorumque infirmitatem. Interea, cum id malum ad menses fere undecim sustinuisset, divinitus tandem hoc anno, Octobri mense impelli se sensit, ut si ex morbo evadere cuperet, votivam B. Philippo tabellam voveret, ejusque ac Deiparæ Virginis preces efflagitaret. Voto nuncupato, pristinam extemplo membrorum firmitatem recuperat, gressum

recipit, pedem argenteum apud beati viri sepulchrum, tanti miraculi argumentum, suspendit.

[204] Eo ipso anno, Octobri mense vertente, Catharina Lottia Mediolanensis, uterum ad octo jam menses cum gereret, gravissimum in morbum incidit: erat is pleuritis acutissima. Vis morbi in muliere, [suscitatur fœtus mortuus] quæ ad desperationem laborare jam cæperat, illud effecit, ut partus doloribus tempore non suo occupata, fœtum mortuum effuderit. In infante omnia cernebantur vita functi signa: obstetrix, quæ parienti opem tulit, peritissima habebatur; quippe quæ ad quinque & triginta annos adjuvandis ex partu laborantibus operam dederat: remediis, si qua erant, fœtui succurritur; sed frustra omnia. Ergo cum nihil omnia auxilia proficerent (mortuum enim ad vitam revocare nullum medicamentum potest) obstetrici unicum occurrit remedium, ut relicta humana ope ad divinam confugiat. Sanctissimam itaque Dei Matrem inclamat; votum facit. Sed cum ejus preces non audirentur, venit ei in mentem B. Philippus, quem his mox verbis appellare cæpit; O beate Philippe! Tu quæso sanctissimam Dei Parentem roga, [ad baptismum.] ut hunc a mortuis excitet infantem, quo Baptismo ablui possit, ne perpetuo pereat. Tum aliquot beati viri capillis admotis, extemplo mortuus infans redit ad vitam; qui mox baptizatus, Joannis Petri nomine honestatur; demum primo & vigesimo ætatis die morbo sublatus, e terris in cælum abiit; cujus mater Catharina jam quinto a partu die obierat.

[205] [Tumidam dolentemque mamillam] Hoc item anno virgini religiosissimæ (cujus nomen supprimitur, quod ipsa suppressum voluit) plus quinque & quadraginta annos natæ, tumor sublime serpens in altera e mamillis oritur. Fuit is initio ad nucis magnitudinem, sed quotidie deinceps non sine virginis dolore increscens, induruit; jamque durities in dolente parte dolorque assiduus

sentiebatur. Hæc porro quamvis illa pateretur, attamen de curando morbo nihil cogitare videbatur. Sustinuerat illum ad sex jam menses: dolores in singulos dies augeri, tumorem concrescere extendique advertebat; sed tamen, vel quod verecundabatur affectam partem medico ostendere, vel quod timebat ne præ morbi fœditate fugeretur ab omnibus, morbum aperire diem ex die differebat. Ad ultimum, morbo assiduos dolores eosque gravissimos in mamilla movente, [medico nolens ostendere virgo,] incerta quid consilii caperet, Sacerdoti, quo ad Confessiones utebatur, rem totam aperit. Qua ille cognita, virginem mox hortatur, si saluti suæ consultum velit, tumidam partem medico ostendat. Sed cum verba in ventum jacerentur, utpote quæ haud induci posset ut medicis præ verecundia læsam partem detegeret; recordatus ille lintei, B. Philippi sanguine imbuti, quod penes se habebat, [ab apparente curatur;] id ægræ pro medicamento donat. Nec id frustra: vixdum plane virgo dolenti parti acceptum pignus admovit, cum repente habere melius cœpit. Nocte deinde insequenti obtulit sese illi in prima quiete cælesti specie Philippus, qui affectam jacentis partem manu contrectans leniterque perfricans, repente sanavit; inter perfricandum his usus verbis: Ne timeas, nihil est morbi (erant hæc ea ipsa verba, quæ ille frequentius, cum viveret, in ore habebat) dein, eam ut pietatem ardentius sequatur monens, ex oculis elabitur. Haud vanum fuisse visum rei ostendit eventus. Virgo e somno evigilans mamillam plane persanatam comperit, læta e lectulo exiliit, pictamque tabellam ad ejus sepulchrum miraculi testem appendi fecit.

[206] Claudius Rangonus, nunc Placentiæ Episcopus, cum eodem anno in continentem febrim incidisset, quæ duos plus menses hominem tenuerat, [& viro nobili gravis febris.] a vitæ periculo vacuus non erat. Id ubi Julia Ursina pia femina, ægro, propinqua cognatione juncta,

rescivit; frustulum mox lintei, beati viri sanguine imbuti, ad eum mitti curat eo ordine, ut simulatque ad ejus deveniat manus, illud statim sibi ad collum alliget. Nec sua illam frustrata pietas. Hoc ubi factum, febris illico omnis abiit: incidit ea res in mensem Decembrem, cum ejusmodi ægrotationes, si ægros non extinguunt, at certe longum tempus habent, neque demum finiuntur, nisi vere vel autumno.

## CAPUT XVIII.
## Miracula, proximo post mortem anno & tribus sequentibus patrata.

Anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Septimia Neria, ætatis decem annorum, cum Januario mense, [Oculum adusta puella,] sub horam noctis tertiam, cum Olympia & Faustina sororibus ad ignem esset, casu evenit, ut, Olympia folles in altum tollente, fistula ferrea illis indita, eaque calida atque ignita, sinistri oculi acies ejusdem Septimiæ non læderetur modo gravissime, sed exureretur etiam. Neque hic stetit res. In eodem mox oculo, in quo signa apparebant, quæ certam facerent adustionis fidem, vesica nata est; hæc intolerabilis confestim dolor spasmum movens consequitur; puella praeterea neque læsum oculum claudere, neque aciei adustae vitio eos qui circum se erant cernere poterat; summaque vi doloris oppressa toto corpore contremiscebat. Inter hæc ægræ mater Clœlia Bonarda, quo tantum filiæ dolorem utcumque leniret, aquam rosaceam ovi albo mixtam, affectæ parti imponit; sed incassum omnia: quinimo id erat medicamentum, ut oculum etiam rumpere posset. Itaque remediis frustra tentatis, ad alia medicamenta transeundum esse decernitur. Mater primum lacrymabunda, positis humi genibus, B. Philippi opem implorat pro filia: [invocato B. Philippo, curatur:] precibus adjicit votum, si Septimia amissam oculi lucem recipiat,

votivam se imaginem ex argento fabricatam ad ipsius sepulchrum, miraculi testem, delaturam. Sed cum illa non audiretur; tum filia, doloris magnitudine propemodum victa, ad eumdem beatum virum per se ipsa confugit, ejusque auxilium ex animo in ipso impetu doloris implorat: B. Philippe, dicebat, si tibi cordi non est, hunc a me morbum propellere, at saltem tantum minue dolorem; tenuerat enim eam plus tribus horis. Tum supplicatione completa, læso mox oculo velum capitis, quod eidem usui fuerat, admovit, easdem iterans voces. Nec spes precesque incassum cecidere: extemplo dolor omnis discutitur, vesica evanescit, oculus ex toto sanatur: somno mox placido correpta virgo ad lucem dormivit, maneque experrecta cælum sanis oculis aspexit.

[208] [item febris dolorifica, admoto ejus velo sanatur:] Evangelista Mariottus, eodem anno ac mense, adeo graviter doloribus febrique jactabatur, ut eum conquiescere nullo pacto, nec in ipso cubili paterentur. Cumque plures dies ita morbo afflictatus jacuisset; doloribus ultra debitum increscentibus, nocte quadam, quod propinquam mortem non tam timeret quam expectaret, sacramentis Ecclesiæ sub horam quartam muniri se postulat. Interea unus ex iis qui adstabant, miseratione ductus, eum consolando monet, B. Philippo se commendet. Tum allatum ad eum ex ejusdem beati viri vestimentis frustulum ipse, magno cum sensu pietatis, accipit; illoque in partes diviso, partem sibi ad collum appendit, partem minutatim concisam aquæ mixtam ebibit. Hausta potione, dolores confestim ex toto quiescunt: cibus, qui assumebatur, ut ante non redditur, atque æger ex eo tempore divinitus confestim sanatur. Eodem prorsus tempore, virgo quædam Deo sacrata, Julia nomine, ex lateribus intestinisque gravissime laborabat. Gravitas morbi ea erat, ut ægra diu noctuque torqueretur assidue. [dolores lateri, & iliorum,] Ad morbum de medicorum sententia medicamenta quamplurima

adhibuerat: sed cum, non paulum dico, sed ne quidquam prorsus in ea levamenti esset; uniuse sororibus admonitu, cum eodem remedio usa esset, valetudini mox pristinæ se restitutam sensit.

[209] Eodem anno, Februario mense, Petrus Puteus, nostræ Congregationis Sacerdos, Panormi cum esset, [continua ac difficilis febris,] contigit ut unus ex iis, Antonius Maria nomine, qui apud Patres domus Panormitanæ domestico opere exercebatur, in ardentem, mortiferam, continentemque febrim inciderit. Is singulis diebus eo horrore stato tempore ad horam opprimebatur, ut toto corpore contremisceret; cujus rei causa continebatur sub veste satis multa, eademque crura, pedes, totumque corpus ejus incalescendi studio contegere opus erat. Horrore pene finito, ardens extorrensque febris deinde sequebatur: qua ille ita vehementer premebatur, ut ardentissima ultra modum siti ingentique circa pectus fervore urgeretur: cumque adhibita remedia nihil proficerent, ejus vitæ timeri cæptum ab omnibus. Quodam die, cum magis etiam quam ex consuetudine, vehementi siti conflictari se quereretur, Petro, qui ei assidebat, beatus Pater occurrit: cujus memoria excitus, detonsis ejusdem capillis, quos secum habebat, ad morbi remedium uti cogitat: quod cum faceret, nullis medicamentis protinus æger convaluit.

[210] [præcordiale apostema,] Hoc ipso itidem anno, Martio mense, Antonio cognomento Parmæ apostema in præcordiis erat cum acutis doloribus. Hi tales erant, quales numquam antea sustinuerat, quique nullam sinebant eum neque noctu neque interdiu capere quietis partem. Apostema medicorum oculis haudquaquam patebat: suppurationes enim ubi notae fuerint, eo facilius curantur; contra vero ubi ignotæ, neutiquam medicamentis sanari possunt. Morbus medicis ignoratus augebatur quotidie, idoneisque medicamentis non

juvabatur: æger malo jam victus suo, ad mortem haud dubiam tendebat. Sed cum, eo assidue invalescente, ad extremum tandem venisset vitæ discrimen; capillis B. Philippi, quorum vim in multis audierat esse salutarem, sic adjutus est, ut dolor nullis remediis [antea cedens] remittere cœperit; ipseque levius habuit, somnus accessit, & sanatus est. Verum biduo nondum plane exacto, novo rursus dolore, eoque gravissimo premi se sensit; vixque is ad quadrantem horæ mansit, cum apostema, neque a se, neque a medicis deprehensum, continuo nullis adhibitis medicamentis erupit; qua ex re illud factum, ut morbus ex toto quieverit.

[211] [febris quartana,] Eodem anno, Aprili mense, femina Cornetana, cui Goræ nomen, adeo acriter totos duos ac triginta menses quartana febri conflictabatur, ut iter ei non esset nisi ab igne ad lectum, & a lecto ad ignem. Huic reliquiaria theca, in qua nonnihil e capillis B. Philippi inclusum erat, admota, ipso initio horroris, qui febrim antecedebat, melius confestim fuit: nec abiit is dies, quin ex toto desierit horror, discesserit febris. Verum cum multis post diebus magno, continuoque, ac fœdo imbre iter faceret, febri iterum urgetur, sed eodem remedio ad morbum ubi utitur, derepente levius habuit, brevique post magnis in horas singulas ac pene momenta virium incrementis plane convaluit. Hoc anno, Majo mense, Augustinus, Cardinalis Cusanus, ad sepulcrum beati viri convestiendum, Attalicam magni pretii vestem dono misit.

[212] [dysenteria letalis,] Octavius Rositanus Neapolitanus, eo ipso anno, Junio ineunte, duos jam menses dysenteria laborabat, ex ea cruor manabat assidue, alvum nulla medicamenta adstringere poterant; cum dysenteria continens pestilensque febris erat, hominem misere dies noctesque excrucians: signa præterea apparebant in eo, quæ certum interitum indicarent. Interea cum mortem ad horas expectaret, ab

amico monetur B. Philippi opem imploret. Facit ille quod erat jussus: addit ad precem, illius se Institutum amplexurum, si convalescat: mox aquam, quam ejus Reliquiæ attigerant, libans, morbo confestim idoneum remedium invenit: expedita lingua proloqui incipit: die insequenti medicis admirantibus, [& cresipelas.] qui fluebat cruor mansit, & vis febris remisit. Tum brevi elapso tempore, morbo omni discusso, pristinæ sanitati restitutus est: vivit is modo Neapoli, Congregationi nostræ adscriptus. Eumdem duobus post mensibus intolerabilis pene dolor, utrique hærens brachio, invadit. Nascebatur is ex duobus eresipelatibus circa brachia consistentibus; morbus ita graviter urgebat, ut æger nullam quietis partem capere posset. Qui ubi eodem remedio utitur, derepente totum a se dolorem discutit, somnum capere cœpit: beneficii memor, Romam votivum simulacrum argenteum, ad beati viri sepulcrum, destinavit.

[213] [desperata febris,] Eodem anno, Octobri ineunte, Catharina, Josephi Castalionis eruditissimi viri filia, annum agens vitæ nonum, ardentissima repente mortiferaque febri corripitur: ad febrim accedebat ventris fluxus, pituita, assiduaque gravedo; ægra præterea cibum adeo fastidiebat, nihil ut sumere omnino posset. Quodam interim die, cum desperata salute jam esset, per quietem narravit adstitisse sibi sanctissimam Dei Matrem, cui unus erat comes Philippus (ad hujus enim opem parentes ipsaque confugerant) atque a Deipara se accepisse, nihil esse quod medicis crederet aut quidpiam timeret, se opem laturam, & intercessione B. Philippi morbum depulsuram. Certe sanitas ægræ reddita fidem visi parentibus domesticisque fecit. Puellæ statim levius fuit, [& colici] cibo refici cœpta est, magnaque suorum gratulatione melius habebat indies, brevique pristinæ firmitati restituta est. Alexander Fulginius, eodem anno, Decembri exeunte, ex intestinis laborare cum cœpisset (eo enim morbo gravissime frequenter opprimi se sentit)

B. Philippi opem initio morbi implorans, omnem a se dolorem omnemque morbum repente abegit.

[214] [An. 1597 sanantur dolor dentium.] Anno deinde post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo septimo ineunte, Joanni Baptistæ Felici Sacerdoti, quinque & septuaginta annos nato, dentes dolebant acerrime: is porro dolor ejusmodi est, ut maximis tormentis adnumerari possit. Cumque in singula pene momenta ingravesceret, gingivis dentibusque sudoriolo beati Patris admoto, totus continuo dolor totusque morbus discutitur. [febris pestilens,] Hoc etiam anno nobilis vir Marcus Antonius, Sanctus cognomento, cum, Martio mense, ex pestilenti febre in vitæ periculum incidisset; salute a medicis desperata, noctu aliquot B. Philippi capillis, qui in theca asservabantur, sibi ad collum alligatis, extemplo melius habere cœpit; vitam in tuto ea ipsa nocte reposuit; quatuor vix intermissis diebus plane convaluit: tum gratiis Deo beatoque Patri avide impenseque actis, votivam argenteam imaginem, pondere egregiam, Neapoli Romam ad ejus sepulcrum, voti exoluendi causa, mittit. Eodem anno, pridie kal. Aprilis, Marcellus Laurentius, nunc Strongulensis Episcopus, adeo vehementibus ilium doloribus repentino corripitur, ut sibi ex hac vita, ni Deus succurrat, migrandum fore pro certo haberet. Cumque ii dolores quatuor circiter jam horas hominem tenuissent, [& dolor iliacus:] unus ex domesticis beatum Patrem ei ad memoriam reducit; Commenda te, dicebat, B. Philippo, implora sancti Viri auxilium: haud dubie aderit tibi, opem laturus. Paret ille, Philippum appellat. Sed ne multa; ad ejus mox nominis invocationem totus is dolor abit, æger somno corripitur, pauloque post experrectus (dormierat enim ad quadrantem horæ) grandis calculus, pineæ nucis magnitudinem æquans, exit: Philippi deprecatione id ille profitetur [factum], a præsenti periculo vindicatus.

[522] Hoc etiam anno, Majo mense, Fabio Apicellæ nobili medico, civi Neapolitano, ex pedibus laboranti, ilium dolores accesserant. Dolorum talis erat impetus, [eximitur calculus] ut eum omni prorsus quiete privaret. Ergo humanis remediis spretis, ut quæ nihil morbo prodessent, B. Philippi capillos affectæ parti admovet; nec id sane frustra. Calculus extemplo ad vesicam descendit, dolor omnis evanescit, urina nullo impedimento redditur, calculo iter patet, erat is pineæ nucis magnitudinem explens: quibus ille attonitus, id non humana arte, sed divina prorsus ope, nempe beati Viri intercessione, factum esse publico testimonio confirmavit. Alio deinde tempore, cum eodem dolore de nocte premeretur, eodem usus remedio ilico convaluit. Hoc ipso anno, extremo Majo, ad sepulcri ornatum lychnus accessit pensilis, ex cælato argento affabre factus, votivum donum primariæ feminæ, cujus nomen, quod ipsa latere voluit, silentio præterimus.

[216] [subito sanatur moribundus puer,] Eodem anno, Julio mense, puerulum quatuor annorum, cui Josepho Sermeo est nomen, gravissimus dolor cum ardenti febre plures dies occuparat: morbus adeo vehemens, ut ægri salus omnium opinione in periculo esset. Tres jam abierant dies, cum præter terna ovi lutea nihil in cibum sumpserat; malo interim magis magisque ingravescente, propinquæ mortis accedunt indicia, sudor frigidus circa frontem, totius corporis lassitudo, brachiorum pedumque extensio, oculi clausi, spiritus difficultas, corpus cui nullus suberat calor: mali etiam morbi testimonium erat, puerulum neque videre neque loqui. Hæc ubi ejus mater advertit, telæ frustum, B. Philippi sanguine imbutum, ei animam ferme agenti imponit. Nec mora; puerulus confestim oculos aperit, matrem clara voce inclamat, e lectulo sanus vegetusque exilit, cibum petit, pannis se induit, domum solus inambulat; matre, patre, aliisque qui aderant obstupescentibus ac lacrymantibus gaudio. Hoc

etiam anno Hortensia Lelia, febri continenti increscenteque assidue, [& gravis febris.] ac gravissimis stomachi doloribus, Augusto mense laborans, ut vidit febrim non modo medicamentis non finiri, sed ne vix quidquam remitti; ad morbi remedium capillis beati Patris uti in animum inducit. Ergo illis sibi admotis, doloribus continuo levari cœpit. Neque hic stetit res: febris eodem die ex toto desiit. Misit tum Romam, ut quæ extra Urbem domicilium habet, qui sepulcro beati Patris, ad miraculi testimonium, votivam sui imaginem affigeret.

[217] [An. 1598 sanatur quinquennis febris,] Quotidiana atque perniciosa febris Archangelam Ancaianam, virginem Deo Spoleti sacram in S. Catharinæ cœnobio, quinque totos annos occupaverat; cumque duobus ultimis annis ex quotidiana, quæ statis horis accedebat, continens facta esset atque assidue incresceret, medicis remediisque nihil proficientibus; Mariæ Magdalenæ Ursinæ, e prima nobilitate feminæ, litteris monetur, ut Philippi opem imploret. Id ubi illa aggreditur, confestim, medicis admirantibus, toto eo morbo eximitur. Incidit ea res in diem decimum nonum Kal. Septembres, anno a Virginis partu millesimo quingentesimo nonagesimo octavo. Porro Maria Magdalena, cujus fecimus mentionem, illa ipsa est, quam Lælius Anguillara clarissimus vir, oppidi cui Cerio nomen Dominus, thalami consortem habuit; quæ, eodem Lælio vita functo, monasticam vitam amplecti maluit, quam diutius, utpote Christo inserviendi avida, in seculo manere. Ergo institutum S. Dominici sibi eligens, Regum se maximo consecravit; constructoque Romæ in Quirinali cœnobio, religiosam ibi vitam Gregorio Decimo tertio Pontifice ducere cœpit. Sed de tanta femina satis, redeamus ad Philippum.

[218] Anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo nono, Julio mense, eidem virgini Archangelæ superior

sinistri oculi palpobra & inferior, [An. 1599 oculus pessime affectus.] conjunctæque partes & adjacentes intumuerant. Huic malo illud etiam accessit, ut orta mox inflammatio sinistrum oculum, rubentem jam sanguine, infestaret gravissime. Accersitur medicus; morbo aptantur medicamenta; sed frustra fiunt omnia; quandoquidem is oculus deterius habebat indies. Ab aliis itaque rebus petendum sibi esse auxilium ægra virgo decernit, id est a B. Philippo; conceptaque spe sanitatis eum vesperi orat, ut, qua est potestate & misericordia, medicinam faciat. Tum læso oculo ejus admovens imaginem, cubitum pergit: corripitur somno: expergefacta se plane persanatam continuo intelligit, toto eo morbo discusso. Hoc ubi mane medicus aliique vident, stupore afficiuntur; Archangela interim Philippo, a quo se beneficium accepisse lætabatur, gratias, quantas maximas potest, agere non cessat.

[219] [Alia plura miracula fiunt.] Simili beneficio multis in locis affecti non pauci, quibus, cum ægrotarent gravissime, exigua spe valetudinis, melius est factum: sed non possumus singula beati Viri miracula recensere. Miracula igitur ad octoginta silentio præterimus. In his, ut cetera sileantur, moribundos habemus decem, surdam feminam unam, Theodosiam Lucatellam Faventinam; juvenem præterea, quem ille dum viveret ad percipiendam colendamque virtutem adjuvare cupiebat, eum fortasse non audientem, monstri horribilis aspectu, in illum mirabiliter immissi, perterrefecit. Eodem anno Alphonsus Vicecomes, Cerviæ Episcopus, qui subinde in Cardinalium Collegium est cooptatus, vestem holosericam villosam coccineam, ex spoliis Sinan Turcicæ classis Præfecti, opere phrygio sane mirabili, flosculis aureis atque argenteis pulcre sciteque distinctam, Philippo donum tulit.

## CAPUT XIX.

## Synopsis virtutum B. Philippi.

[220] Cum superioribus libris de quibusdam B. Philippi virtutibus, ut sese occasio dedit, sermo habitus sit; nunc de ceteris cursim dicendum. Ab humilitate igitur initium faciam, de qua etsi admiranda prædicantur multa, ex eis tamen, ne longitudine sermonis lectorem tædio afficiam, pauca seligam, [Humilitatis studium,] quibus narretur aliquid. Humilitatis studium in eo eximium fuit: hanc perpetuo amavit, hanc amplexus est, hanc constanter tenuit: humilitate virtutes conservari, contra ea perdita deperdi destruique, omni asseveratione affirmabat: hanc ipsam præterea aliis commendare consueverat, ut ceterarum caput, fontem, custodemque virtutum. De se ipse suisque rebus ita abjecte & demisse sentiebat, ut se mortalium omnium infimum putaret: nihil perferebat audiebatque gravius, quam se coram laudari ac sanctum dici; hisque respondere solitum scimus, Faxit Deus, ut is sim, quem dicitis. O me miserum! Quot virgines, quot rustici homines apud Deum majorem Philippo gloriam consequentur? Nullarum prorsus virium, nulliusque sanctitatis se esse prædicabat. Cum se stipatum civium agminibus, cum studiis hominum florentem videret; affici se summo dolore dicebat, quod excitæ de sua sanctitate hominum opinioni non responderet. Quid enim causæ erat, quod tanto cum animi sensu ac dolore in illas persæpe voces, veræ humilitatis indices, erumperet? Nihil unquam egi dignum beata vita: sentio me unum esse ex omnibus Deo ingratissimum, & omnes mihi esse ad virtutem ac pietatem incitamento. Æger dicere solitus erat; Si vita superstes erit, ad meliorem frugem me convertam. Divinam potentiam satis mirari non poterat, ut quæ ejus opera, cui nullæ, ut dicebat, unquam fuere vires, ad animorum conversiones usa sit.

[221] Congregationis auctorem, ut erat, se haudquaquam jactabat. [fuga æstimationis humanæ,] Quod, dicebat,

hanc Societatem condidi; quod multos a miserabili errore ad verum salutis iter revocavi; ne putetis id mihi tribuendum esse, imo in hoc & meam imbecillitatem magis & divinam potentiam agnoscite, quæ vilissimi famuli opera & nihilo (ut ipse aiebat) perfecisset hæc omnia: quod factum est, Deus ipse fecit; numquam Congregationem instituere mihi in animo fuit. Rogatus postremo vitæ tempore, ut Martini instar Dominum in hanc sententiam rogaret; Si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: Absit a me, confestim respondit, ut ita orem: non enim is ego sum, qui mortalium saluti prodesse me posse confidam. Baronio, qui ejus Confessiones excipiebat, id sibi ex animo dolere dicere solitus erat, quod tanti ab hominibus fieret; illud adjungens, frequentissime se Dominum rogasse, ne per eum miracula patraret: quod si aliquod fieri obtigisset, id non sibi, sed fidei illorum, qui experti erant, acceptum referendum esse.

[222] Ex hoc ipso fonte sui ipsius despicientia fluxit, qua mirifice in omni vita delectatus est. Honores dignitatesque quam qui maxime omni tempore fugit: sciebat enim nullos honores animum satis explere beatumque efficere: præter paupertatem enim & sui ipsius despicientiam, [despicientia sui,] rerum omnium contemptum vitamque privatam, nihil sibi repererat quod placeret. Admiranda quamquam agebat, admirandus tamen videri noluit. Ejus rei illud certissimo est argumento, quod magna cum operaretur, stultitiæ simulatione instituto suo tegens sapientiam, hominum plausus subterfugiebat, Apostoli sententiam secutus; Qui vult sapiens esse; stultus fiat. [1 Cor. 3.] O hominem vere divinum! qui magis bonus esse, magni Ephrem Syri imitatus exemplum, quam videri voluit, amavit, omnique ope contendit. Verborum simplicitate delectabatur: composita, blanda, atque aulica verba minime cupiebat; secum enim sine fuco more majorum agi volebat. Ægre

admodum ferebat cujusque ordinis homines, etiam infimæ sortis, vel aperto capite coram se stare, vel ad manus sibi deosculandas accedere. Tandem, ut ad pauca redeam ac mittam multa, quæ enarrare possem lectu scituque dignissima, hæc firma ejus erat intentio, hoc animi propositum, ut non modo amicos externos, sed domesticos etiam, seria jocis interdum permiscens, quantum posset, suam celaret sanctimoniam.

[223] [paupertatis amor,] Paupertatem & Laicus & Sacerdos perpetuo coluit. Florentiæ cum esset, magnam rei familiaris jacturam, quam repentinum incendium abstulerat, constanti animo tulit. Romam ubi venit, nihil unquam neque a suis neque ab aliis petiit, paupertate ipsa ad frugem captandam usus. Paupertatis demum quanto desiderio teneretur, & in adolescentia significavit, in contemnenda avunculi hereditate; & in ultimo vitæ tempore, cum oraret Deum assidue, ad eum paupertatis statum ipsum adduceret, ut nummo argenteo egens non reperiret qui illi daret: quod tametsi consecutus non est, meritum tamen ejus rei apud Deum, quod operi respondet, non amisit.

[224] [orandi assiduitas,] Precationibus intentus ea afficiebatur voluptate, ut si licitum illi fuisset, numquam ab orandi studio cessasset. Hinc quod habebat vacui temporis, totum obsecrationibus impendebat; quinimo sive staret, sive sederet, sive inambularet, aut quid aliud ageret domi forisque, orationi ita deditus erat, ut non solum quidquid in se erat corporis & cordis, verum etiam operis & temporis, precationi dedicasse videretur. Orandi assiduitate illud consecutus erat, ut jam pateretur magis divina quam ageret. Deo ubi per contemplationem se conjungere volebat, ejus amore vulneratus, hominis instar viribus infirmi, lectulo plerumque cogebatur decumbere; facieque ad cælum versa, & spiritu psallebat & mente: cumque in meditatione ejus exardesceret ignis, totus, ut

dictum alibi est, commovebatur, totusque vi flammæ cælestis incalescebat. Erat ejus corporis infirmitas (si divini amoris vim imbecillitatem dicere fas est) quæ ex divino cælestique ardore procederet, non virium imbecillitate. Mos illi erat vel orationem ad multam noctem protrahere, vel totas etiam noctes insomnes producere. Loca ab arbitris remota sublimiaque, utpote contemplationi aptiora, libentius incolebat.

[225] Lacrymis adeo abundabat, ut in singulas propemodum preces confestim erumperent. [donum lacrymarum.] Ex Christi Domini nostri vitæ mortisque meditatione tantos percipiebat luctus, quantos ferre vix posset. Aliorum delicta, non secus ac si sua essent, deplorabat gravissime. Acerbissimæ Christi mortis nomen audire vix poterat, quin fluerent ex oculis lacrymæ. Ei demum fletui perenni quidem atque uberrimo sese dederat, ut qui illum ita deflentem deprehenderint, pro miraculo habuerint, eum oculorum aciem non amisisse. Sed absolvamus caput hoc exemplo. Gregorio decimo quarto Summo Pontifice, gravissime æger cum esset, cyathum succi gallinacei, quem manu tenebat, ori numquam admovere potuit; namque repentina de Christi Domini nostri morte cogitatio adeo ejus perculsit animum, ut illico magno cum lacrymarum imbre clamaret: Tu, mi Christe, Tu, qui Dominus es, in cruce; ego, qui servus, in lectulo! Tu sine ministris, consolationibus spoliatus, in cruce pendes: ego hic in lectulo jaceo, tot stipatus filiis, qui mea solius soliciti sunt causa, ut me unum expleant! Et hæc cum diceret, lacrymas, quæ ubertim ex oculis manabant, fletumque cum singultibus cohibere non poterat.

[226] Ea erat animi mansuetudine, ut irasci nesciret. Suos aliosque, [mansuetudo,] ubi opus erat, maxima lenitate dexteritateque corrigebat. Ad eam quidem, ut uno verbo absolvam, animi moderationem devenerat; ut ipsos iræ

motus compresserit, vicerit, compressosque in sua habuerit ditione ac potestate. Siquid præciperet, roganti similior erat quam jubenti; nihil enim aspere imperabat: quippe jubere sic solitus erat: Hoc agito: Fac amabo te isthuc: Hoc ego pro te faciam, si tibi grave videtur; Vellem tibi hoc munus imponere, quid respondes? Amicos tam domesticos quam externos ita laeto intuebatur vultu, ut vel ex hoc uno quivis facile cognosceret, quæ esset ejus erga omnes humanitas, quæve mansuetudo. Vultus hilaritate omnium ad se animos, comitatis dulcedine adjuncta, alliciebat. Cum iis quibuscum erat jucundos semper gratosque miscebat sermones. Verum in his rebus, quod arduum est, id a Domino munus acceperat, ut quidquid vel faceret vel diceret, totum sanctimoniam redoleret.

[227] Ornavit Deus Philippum summa prudentia, quæ maxime rebus ad Dei gloriam agendis atque consiliis dandis eminebat. [prudentia,] Hanc ille virtutem ut occultaret, simplicem se stultumque simulabat, ut tandem cum Apostolo diceret: Nos stulti propter Christum. [1 Cor. 4,] Hoc ergo unum manibus pedibusque obnixe conabatur, ut summam prudentiam specie quadam assimulatæ simplicitatis atque stultitiæ tegeret. Tamquam ad magistrum, ducem, auctoremque consiliorum ex omni hominum genere ad ipsum confluebant quotidie. Illum e prima Nobilitate viri, illum Religiosi, illum Principes de rebus gravissimis ac plane difficillimis consulebant. Consilia, quæ ille dabat, non prudentiæ magis plena quam salutis erant. In dignoscendis animis hominum promovendisque ad Christianas virtutes prudentia valebat plurimum. Unumquemque regebat, cujusque naturæ primum habita ratione: ad omnium quippe voluntatem, ut omnes ad Christum alliceret, sese, quoad liceret, accommodabat: sua quippe, ut aiunt, esca quemque piscari contendens. De spirituum discretione, deque affectibus moderandis

scientiam habuit maximam: ex qua ejus in rebus spiritualibus judicandis ordinandisque dignoscebatur peritia, subtilitas, atque perspicacia. Harum rerum plurima habemus exempla: sed cum de omnibus longum sit dicere, ea missa facio.

[228] Multus essem ac tædii plenus, si per singula virtutum genera ire vellem, [caritas erga proximum.] eo vel maxime, quod quæ alibi dixisse me memini, iterare cogerer. Ergo, in id vitium ne incurram, taceo hominis virginalem integritatem, in adversis tolerantiam, in susceptis negotiis constantiam, demumque ceteras virtutes plane heroicas. Unum hoc adjiciam de illius in proximos caritate (de ejus enim in Deum amore satis jam a me dictum est) tanto peccatores ad Christum adjungendi flagrasse desiderio, ut postremo vitæ tempore flagellis se cædere, pœnisque voluntariis affligere, eos modo Christo lucraretur, cuperet. Flagitiosorum hominum ita frangebatur misericordia, ut eos intuitus se continere nequiret, quin multas profunderet lacrymas, internæ caritatis præclarissima testimonia.

[229] Atque hæc de Philippi vita dicta sint satis, cujus narrationem hoc anno Jubilæi millesimo sexcentesimo Deo juvante concludimus: anno inter ceteros insigni & memorabili, [Conclusio operis anno Iubilæi 1600,] tum quoniam hoc tempore majora quotidie Romanorum civium, Principum virorum, Præsulumque insignium opera pietatis existunt; tum præcipue quod Clementis Octavi Pontificis Maximi, in excipienda ex totius Orbis terræ partibus confluente ad Urbem multitudine, sublevandaque pauperum peregrinorum inopia, paterna caritas, civibus jam ante notissima, nunc exteris gentibus ac nationibus magis magisque innotescit: ad quorum etiam commoditatem, novum advenis Sacerdotibus hospitium aperuit: ibi ejus, cujus vices gerit, exemplo,

convivis frequenter pedes abluere, abstergere, deosculari etiam, & discumbentibus illis mensæ benedicere non dedignatur. Sed hæc, leviter a nobis percursa, aliorum industriæ exactius persequenda relinquimus.

[230] Respice tu interim de cælo, sancte Pater (te enim nunc alloquor) ex illius montis celsitudine, [cum invocatione Sancti.] in hujus vallis humilitatem; ex illo quietis & tranquillitatis portu, in calamitosum hoc mare; & vide illis benignissimis oculis, quibus hujus seculi discussa caligine clarius omnia intueris & perspicis; & visita, Custos diligentissime, vineam istam, quam posuit & plantavit dextera tua, tanto labore, sudore, periculis. Ad te itaque confugimus; a te opem petimus; tibi nos penitus totosque tradimus; te nobis Patronum & defensorem adoptamus: suscipe causam salutis nostræ; tuere clientes tuos. Te ducem omnes appellamus: rege contra dæmonis impetum pugnantem exercitum: ad te, pientissime Rector, vitæ nostræ deferimus gubernacula; rege naviculam hanc tuam; & in alto collocatus, averte omnes cupiditatum scopulos; ut te duce, te directore, incolumes ad illum æternæ felicitatis portum pervenire possimus.